Tilneau : [illegible]


BIBLIOTECA NAZIONALE
VITTORIO EMANUELE
6
5 C
25

IO. ANTONII VIPERANI DE POETICA LIBRI TRES.



ANTVERPIÆ,
Ex officina Chriſtophori Plantini,
Architypographi Regij.
M. D. LXXIX.


SVMMA PRIVILEGII.

REGIS Priuilegio cautum eſt, ne quis citra Chriſtophori Plantini Architypographi Regij voluntatem *Io. Antonij Viperani opera*, intra octennium à die impreſſionis abſolutę, imprimat, aut alibi impreſſa importet, venaliáue habeat intra omnes ditionis eius fines. qui ſecus faxit, pœna multabitur quæ expreſſa eſt in regio diplomate, dato Bruxellæ 20. Martij, M. D. LXXVI.

Sign.

Iac. Blyleuen.

ANTONIO PERENOTO S. R. E. CARDINALI GRANVELLANO,



IO. ANTONIVS VIPERANVS.


IBROS de arte poëtica, quos summo studio & labore composui, tibi, cui plurimum debeo, & plurimum volo debere, ob ingentem tuorum in me meritorum multitudinem, dedico PERENOTE Cardinalis amplissime, obseruantiæ in te meæ & amoris testificandi gratia. Nam maiore opera & diligentia opus fuit ad eam artem pertractandam, quæ Latinis literis minus illustrata est. Etenim præter Horatium non habemus, qui de poëtica quicquam scripserit: atque is nullum

ordinem doctrinæ tenuit; non poëticæ notionem euoluit, non formas distinxit, non distinctè quid cuique generi conueniret exposuit: &(quod certè maximum est argumentum eius quod dicimus) ipsius artis vocabula pauca admodũ videmus Latinitate donata. Quin etiam Græcorum vnius solùm Aristotelis, nec de vniuersa quidem arte, sed de tragœdia tantùm extant præcepta: quæ paucis antè annis doctissimi quidam viri multis interpretationibus amplificarunt. Quorum ego si coner vel adiuuare sollertiam, vel industriam augere; cur potius reprehẽsione quàm laude dignus existimer? Est quoddam genus hominum, qui, cùm ipsi nihil scribant, aliorum scripta fastidiũt; quasi nihil amplius dici possit; quod non prius ab aliis copiosius & ornatius scriptum sit. Neque hoc ita dico, vt non ampliorem honorem veteribus scriptoribus, quàm nouis habendum putem; sed id dico, ne horum quoque vigiliæ lucubrationes-

tionesq́; negligantur. Nullus enim liber est, ex cuius lectione non aliquis omnino fructus percipiatur. & qui vnquã experiméto didicisset laborem & difficultatem scribendi, magnam profectò gratiam cuiusuis scriptoris conatui debendam sentiret. Non sanè tot, tantarumque rerum scientias & doctrinas consecuti vnquam essemus, nisi lõgis & propè infinitis doctissimorum hominum disceptationibus agitatæ fuissent: neque Aristoteles tantus philosophus extitisset, si non ante ipsum plerique de obscuris naturalibusq́; causis acutissimè & subtilissimè disputassent. Sed satius respondendum illis est, qui præ se quandam probitatis speciem ferétes poëticæ studia contemnunt; quòd ad voluptatem modò quæsita videantur; nempe quę veritatem fabularum inuolucris tegant, & cõfictis amoribus iuuenum potissimè animos, qui ætate & iudicio nondum cõfirmati sunt, ad libidinem & turpitudinem grauissimum vitæ scopulum impellãt. boni

quidem viri, ſed eius, quod dicũt, ignari; quia poëticæ vim & facultatem nullam intelligunt. Quid enim aliud eſt poëſis, quàm in fictis perſonis viuẽdi rationem docens philoſophia? Non tradit leges diſſerendi, non explicationem habet naturę, non res cęleſtes & diuinas contemplatur, ſed quæ vita & mores deceant vnumquemque humanarum actionum imitatione demonſtrat: atq; ita animum contra omnem caſum informat, vt neque in ſecundis rebus ſe attollat, neque in aduerſis demittat, verùm ipſam felicitatem in ſola virtute & honeſtate ponat. Virgilius non ab alia re veras Æneæ laudes, quàm à pietate & fortitudine ducit: atque Vlyſſem nudum & egentem omnibus rebus Phæaces apud Homerum ob animi magnitudinem ac præſtantiam veluti Deum quendam è cælo delapſum admirãtur. Quamobrem magnus ille Baſilius Homeri poëſim viam quandã eſſe dixit ad virtutẽ. Iſti figmentis velut cortice non vident virtutis præ-

cepta cōtineri, & latêre ſub illis ſtudium ſapientiæ. Quòd ſi poëtarum fortè quidam vllam quādoque turpitudinem attigerunt, illos, ſi attendas, agnoſces ea ratione ad id motos fuiſſe, qua hiſtorici res quaſdam turpes ſcribūt, & morales philoſophi naturam vitiorum explicant; nimirum vt omnis turpitudo à nobis accurata animaduerſione fugiatur. Nihilominus eos poëtas qui id ſtudent vt laſciuis cantibus ad obſcenas cogitationes animos traducant, contemnendos, & ex vrbe procul eiiciēdos aio cum Platone: qui cenſet iudicium de poëtis ad prudentiores viros ſemper eſſe deferendum. An non eſt iniquum deſpici philoſophiam, quia in philoſophis flagitia deprehenſa ſunt? & vituperari eloquentiam, quia oratores nonnulli reip. obfuerunt? Quantus eſt homini ignis & aquæ vſus? quiá igitur nocét aliquando, non ipſis vtemur? Nec ſunt ea reprehendenda, quibus bene vti poſſumus. Verumenimuerò iſti quam in rem va-
 leat

leat poëtica non comprehendunt,nisi ad versus faciendos. Atqui proprium poëtæ munus est hominum actiones effingere, & fictis rebus humanæ vitæ imaginem cum delectatione quadam exprimere. siquidem imitatio per se ipsa delectat. Qui etiam numerosam & suauem orationem adhibet, vt, quandoquidem ad numeros natura ducimur, in animo & memoria magis inhæreant quæ fingit. At verò quantum ipse laboris & studij in hac arte explicanda posuerim, malo ab aliis iudicari. Ceterùm libros tuo nomini Cardinalis amplissime nuncupo, vt dent ceteris meæ in te voluntatis non dubiam significationem; qui pro tua sapientia & liberalitate vniuersos literarum studiosos benignissimè humanissiméque complecteris.

IO. ANTONII VIPERANI DE POETICA

LIB. PRIMVS.

De nomine & vi poëticæ.

CAP. I.

POETICÆ *significatio deriuari potest in res plures; nam verbo Græco ποιεῖν, vnde poëticæ nomen ducitur, & faciendi & fingendi subiecta vis est; quo porrò nomine artes omnes appellantur, quæ vel factione, vel imitatione consistunt: tamen ea facultas atque scientia, quæ effingit explicátque carminibus fictas hominum actiones, ob dictionis imitationísque præstantiam hoc proprium nomen obtinuit. Quamobrem poëtæ nomen erit quidem his commune, quorum studium aut in facienda, aut in effingenda re aliqua versatur; sed eo fabularum & carminum compositorem præcipuè intelligemus: quemadmodum orationis autorem oratorem volunt nominari; quia licet omnis oratio locutio sit, tamen eius locutio verborum & sententiarum copia, grauitate, ornatu ceteris antecellat. Igitur Poëtica opinor rectè finietur ars, quæ numerosa oratione ad docendum vitæ vsum actiones hominum imitatur. Etenim si ars est multa-*

rum de vna re præceptionum ad finem aliquem vitæ vtilem comprehensio, nulli dubium erit poëticæ suas esse leges (nam leges artium sunt præceptiones) quæ à summis ingeniis inuentæ, & longo vsu & experientia obseruatæ sunt. Tum humanarum actionum imitatio ab his artibus poëticam seiungit, quæ nihil effingunt: carmen autem ab his secernit, quæ licet effingant, non tamen versu explicant id quod effingunt: cuiusmodi sunt Dialogi, quos quidam poëmata nuncupant; vt plerique Lucianum planè alterum Aristophanem esse dicant; sed ea dumtaxat ratione, qua pictores, mimi, & imitatores alij propter nominis generalem quandam lateq; diffusam significationẽ nominari possunt, & nominantur etiã poëtæ. Non erit ergo poësis, quæ vel imitatione priuetur, vel carmine non vtatur: etsi nonnulli vulgariter compositores carminum, vel si nullam fingendi rationem sequantur, quasi effectores poëtas appellant, arbitrantes ποιεῖν solum id esse, quod metra conficere. Atqui Empedocles, Parmenides atque Lucretius summorum hominum iudicio è numero poëtarum eximuntur; quoniam præter carmen nihil aliud habent, quod poëtarũ proprium sit: non secus atque is creditur dicendi copiam & ornatum ab oratore mutuatus, qui de occultis naturæ rebus elegante & copiosa oratione disputans auditur. Proinde vt anima corporis, sic fabula est forma poëmatis; quia magis fictio poëtam facit, quàm carmen, cùm illius magis proprium sit imitari: & docti viri negant inueniri poësim quæ imitatione careat. Carmen autem poëta in exprimendis

mendis humanis actionibus vsurpauit, quo numeris iucundior esset, orationéque sublimior. Pulchrè igitur poësis pictura quædam loquens, & pictura tacita quædam poësis dicta est, quoniam est vtraque imitatio: sed altera sine oratione quasi elinguis & muta est; altera suaui oratione rerum imagines adumbrat. Quocirca si poësis solo carmine constaret, non etiam quibusdam quasi lineamentis fabulæ conformaretur, nullo modo pictura dici posset. at quoniam in ea, tamquam in tabella, humanarum actionum forma exprimitur, picturæ nomine signata est.

De origine, & laudibus Poëticæ.

Cap. II.

QVAM *ante bellum Troianum inuentam esse permulti affirmant: & eius inuentionem aliqui ad Apollinem referunt, quo tempore Pythona serpentem interemit; quidam oraculo Delphico, siue Apollinis Phemonoë attribuunt, quam produnt responsa carminibus reddidisse, atque hexametro carmine primùm Delphis vaticinatam fuisse. quod carmen deinde Pythium appellatum fuit. nonnulli Baccho adscribunt, quoniam oracula dedisset ante Apollinem; alij Osiridem AEgyptium autorem probant, sed eundem esse dicunt, quem Græci Apollinem vocant, ac Pausanias nescio quem poëticæ repertorem tradit; & Titianus Syrus à barbaris quidem inuentam, sed acceptam à Græcis & excultam asserit; Thraces quoque totam hanc artem dicunt suam, quoniam Orpheus, Musæus & Tamyris,*

qui poë-

qui poëtarum omnium primi extiterunt, in Thracia orti & procreati sunt: vbi etiam loca quædam Musis cõsecrata cernuntur, Pimpla, Olympus, Libetrum. quæ locorum vocabula postmodum à Macedonibus vsurpata fuerunt. Musicorum quoque instrumentorum nomina, vt Sambica, Nablia, Barbitos & Magadas, ipsorum sunt Thracum verba. Thracas autem Bœotiam incoluisse rerum scriptores testantur: in qua eadem ferè sunt loca Musis & Apollini dedicata. Præterea quidam scribunt Pierum quendam Macedonem primum poëma confecisse, ac filias suas poësim docuisse; ob ídque Musarum patrem & alumnum habitum fuisse, atque ab eo Musas Pieridas vocitatas. quæ etiam Thespiades dictæ sunt, quoniam Pierus primùm Thespiis cecinisse carmina memorabatur. Quidam etiam Moysen & Annam sororem huius artis inuentores autumant, quia carmen hexametrùm inuenisse dicuntur. Quare Plinius iure magnam esse de poëmatum origine quæstionem scribit. Omnes verò affirmant prius componendorum carminum, quàm studiũ solutæ orationis apud veteres extitisse: apud quos sapientes omnes poëtæ vocabantur, cùm ab illis omnia versibus explicarentur. Vnde omnes artes & scientiæ à poëtis ortum habuisse videntur. Neque hoc à me quispiam ita dici existimet; vt ducam (quod parum intelligentis est putare) priscis illis temporibus homines dimensis verborum spatiis loqui solitos fuisse: verùm quia serius in oratione soluta numerus notatus & cognitus est; quem scimus à poëtica ad eloquẽtiam delectationis atque aurium

causa

causa traductum esse; cùm nullus sit (vt ait Cicero) numerus extra poëticos. Ac non multo ante quàm Xerxes in Græciam descendit, Cadmus Milesius, Pherecydes Syrus, & Hecathæus feruntur primi apud Græcos solutam orationem vincire cœpisse; apud Romanos verò Appius cæcus conclusionem quandam verborum & formam obseruasse. Cicero tamen inquit Thrasymachum quibusdam numeris & modis primùm dictionem astrinxisse, Gorgiam eius diligentiam adiuuisse, vtriusque inuentionem Isocratem moderatione vicisse. Sed hi qui ex carminis inuentione poëticæ originem inuestigāt, præterquam quòd nihil pro certo habent, maximā vim eius in versu ponunt. At verò Aristoteles è duabus causis naturalibus profectam esse putat, & imitandi studio, & harmoniæ dulcedine: quæ insita sunt homini à natura, & poëticam facultatem perficiunt. Nam homo præ ceteris animantibus vim magnam habet imitandi: & à natura sic comparati sumus omnes (id quod ætas puerilis maximè declarat, in qua naturæ vis & motus apparent,) vt non nisi per imitationem disciplinas accipiamus, & his pariter rebus delectemur quibus expressam imaginem aliquam cognoscimus; atque hoc magis, quòd talium aspectu intelligentia renouatur, & mens ipsa cognitione alitur. Omnes autem discendi studio tenemur; neque solùm videndi, sed audiendi quoque sensus minister est animo ad consequendam rerum cognitionem atque scientiam. Tum harmonia, è qua carmen effluxit, quod certis quibusdam numeris & temporum spatiis continetur, ita naturalis

ralis & propria est homini, vt nemo sit vsquam mortalium tam ferus & agrestis, qui non cantu capiatur. Quibus de causis arbitror certum aliquem poëticæ parentem & autorem dari non posse, nisi naturam, quæ nos ad poëticæ studia informauit; nullúmque tempus fuisse, quo non poëticæ studia colerentur. Ex quo poëtarum genus antiquißimum esse constat. Et velut ceteræ artes, quas peperit notatio naturæ & animaduersio, primùm horridæ, deinde longo temporis spatio à summis ingeniis perpolitæ sunt (nihil enim vnquam simul inuentum est, atque perfectum) sic poëtica principio rudis, tum ratione & obseruatione prudentißimorũ hominum exculta & absoluta fuit. Et Quintilianus de carmine loquens, poëma, inquit, nemo dubitarit imperito quodam initio fusum, & aurium mensura, & similiter decurrentium spatiorum obseruatione esse generatum; mox in eo repertos esse pedes. Non igitur ij vident qui poëticam reprehendunt, se naturæ beneficia contemnere. nam quid ea iucundius? quid esse potest ad vitam & mores vtilius? quæ Dei donum, Musarum inuentum, & omnis est disciplinæ & eruditionis initium: quæ tanta fuit apud omnes nationes, tanto etiam vel apud barbaras gentes in honore, vt nullus apud eos sapiens haberetur, qui non esset idem poëta. Nam dicendi & agendi magistri, naturæ etiam scrutatores, ac diuinarum rerum interpretes omnes erant apud priscos illos poëtæ. Hinc Plato poëtas virtutum genitores, sapientiæ duces, eruditionis parentes, Deorum internuntios & filios appellat. Quid, quòd poëta præstantiore

quodam

quodam modo, quàm ceteri, Deum videtur imitari? Nam vt ille ex nihilo res creat, vnde ποιητὴς appellatur; siquidem is qui aliquid ex materia conficit, δημιουργὸς dicitur; sic iste penè ex nihilo confingendo admirabilia quædam producit: neque res gestas historicorum more pronuntiat, sed diuina quadam & singulari ratione nouas condit, earumque rerum, quæ nusquam sunt, imagines format, & earum quæ sunt, pulchriores effingit. Quapropter hoc ipsum nomen adeptus est quod Deo tribuitur. Adeò boni poëtæ diuinitate quadam nobis etiam commendantur. Quòd si poëtarum aliqui turpes & inhonesti obscena quædam & non solùm diis, sed ipsis etiam hominibus indigna cecinerunt, ob id ne vitium, quod est hominis, affinges arti, quæ nisi honesta & decora facere non iubet? Quænam obsecro ars tam laudabilis est, cuius vsus hominis vitio corrumpi & deprauari non possit? Quamquam poëta, cuius officium est hominum actiones effingere, vel coactus à rerum necessitate, vel à decoro personarum admonitus, interdum prauos homines imitatur, non quos sequamur, cùm ipsemet illorum improbitatem execretur, sed vt malos mores, quos in fictis personis agnoscimus, diligentiùs fugiamus. aut tollenda historia est vitæ magistra, quæ tam multas sæpè res turpes nefandásque commemorat. Nemo igitur hoc dissimulet quod ingenitum est à natura, nec reprehendat quod est sanctum, nec contemnat quod diuinitate quadam venerandum est.

De poëta. Cap. III.

IAM Plato, & cum eo Democritus negat esse bonum poëtam, qui diuino quodam furore non corripiatur: eúmque Latini à vi mentis vatem appellant. Idcirco aliqui simularunt insaniam, vt boni poëtæ haberentur. Verùm ij poëticæ vim omnem furore quodam metiuntur, & vniuersam artem repudiare videntur. Quòd si nullum vsum ars præstat, cur traditur; sin præstat, cur negligitur? Equidem (vtar enim perlubenter verbis poëtæ)

—nec studium sine diuite vena,
Nec rude quid prosit video ingeniũ: alterius sic
Altera poscit opem res, & coniurat amicè.

Nec equidem nego in poëta plurimum posse naturam, & maiorem vim in hoc, quàm in aliis studiis habere; sed artem quoque discendam puto, quæ certa quædam dicendi, agendi, faciendi, inquirendi ratio, via, dux, & comes est, hominem errare non patiens. licétque multa sint, quæ nisi à natura tradantur, nulla vmquam arte comparentur, tamen ipsa naturæ dona meliora fieri possunt doctrina. Etenim qui rationis & doctrinæ ignari tantùm naturæ præsidiis muniti studium aliquod persequuntur, sæpe ingenij quodam impetu & concitatione compulsi à certa via abducuntur; qui si artem vllam tenerent, numquam profectò aberrarent. Quòd si ad naturam & artem adiungatur exercitatio omnium magistrorum optima, nescio quid tunc ex his perfectum & expletum, & omnibus partibus & numeris absolutum iri video. Et quoniam per nos ipsi per-

ipsi perfectam rationem videre & sequi non possumus, optimi quique nobis proponendi sunt ad cognoscendum, & imitandum, non modò ne quam deformitatem & prauitatem scribendi mala nostra consuetudine contrahamus, verùm etiam vt contendentes ad suprema, si prima contingere non liceat, possimus saltem in secundis tertiisue consistere. Illum verò non insanum, sed diuinum furorem non modò non spernimus, sed vehementer quoque admiramur.

Est Deus in nobis, agitante calescimus illo:
Impetus ille sacræ semina mentis habet.

Asseruntque Academici quosdam genios secundos, & veluti magistros nobis adesse; eorúmque gratia magnam studiorum varietatem inter homines fieri; proindéque paucos in Musarum sacraria facilem aditum inuenire, vel quòd inepti ad studia poëticæ natura sint, vel quòd minimùm diuino illo spiritu excitentur. Quibus rebus assentiri quoque Aristoteles videtur, cùm bene & rectè fingere neminem posse ait, nisi vel ingeniosum virum, vel cælesti spiritu afflatum; adeòque Homeri diuinitatem, & ingenium extollit. Talem igitur poëtam & artificem quærimus, instructum inquam à natura, informatum ab arte, exercitatione & summorum ingeniorum imitatione excultum; denique cælesti & diuina quadam vi præditum; qui non humana solùm facultate, sed etiam diuinitate inter omnes emineat.

De materia poëtæ. CAP. IIII.

QVÆ sit autem poëtæ subiecta materies (quando nos huc doctrinæ via ducit) non est pluribus mea sententia disputandum. Nam si ea quæ fieri solent, aut debent ab hominibus, ad docendum virtutis vsum imitatur, patet hominum actiones illi esse propositas, in quibus effingẽdis omnem operam suam & studiũ ponat. Verùm ea quæ homines agunt is temere explicarit, qui non mores & affectiones animi, è quibus humanæ actiones proficiscuntur, accuratè & diligẽter expresserit. siquidem in vitæ modo cuiusque natura perspicitur. Quamobrem ea philosophia quæ de rebus bonis & malis, de fugiendis & expetendis, de naturis hominum & moribus est, tota est perdiscenda poëtæ humanarum actionum, quæ aut vitio aut virtute discernuntur, imitatori. Quam cognitionem si moralis philosophus asseret suam esse, nõ reluctabimur, dum poëtæ concedat licere cùm voluerit tantum ex hac doctrina, quantum res sua postulabit, haurire. Atque ille nudis asperísque præceptis rationem vitæ docebit, hic iucundis ornatísque figmentis humanam felicitatem ostendet, non autem finiendo, partiendo, demõstrando, interrogando, respondẽdo, arguendo, refellendo: illéque animi affectiones & motus horridis atque exilibus verbis declarabit; hic venusta, graui & apta naturarum humanarum imitatione spectatores ad iram, ad odium, ad tristitiam, ad hilaritatem, ad misericordiam, ad clementiam, ad spem, ad metum incitabit, aut reflectet vt volet.


volet. Nec vtetur his argumentis quibus Dialecticus, neque expolitionibus quibus orator, sed à peruulgata docendi via & ratione declinans fingendo instituet auditorem. Sapiēter igitur poëticam amœnam quandam ad virtutem viam esse, & commentis inuolutam adumbratámque philosophiam docti homines dixerunt. Atqui nihil est quod in humanarum actionum non cadat imitationem. quare videntur omnia posse teneri & possideri à poëta, immo verò etiam debere. Nam si eorum cognitio, quæ ad humanæ vitæ commoda & ornatū sollertia mentis excogitauit, poëtæ necessaria est, atque omnes artes & doctrinæ ad adiuuandam & perficiendam hominum naturam inuentæ sunt, quæ rerum scientia erit à poëtica facultate seiungenda? aut quid non potius illi attribuendum? Orator, cuius materia fori, concionis, & iudiciorum limitibus circumscripta est, nullis terminis definiri vult ius suum; nos poëtæ vim, cui nihil eorum esse debet obscurum quæ in vita continentur, certis quasi cācellis concludemus? aut quas artes & scientias ab eo indicaueris abesse posse, qui hominū actiones, orationes, naturas, mores, affectus & studia imitatur? Quoties illi de potestate numinis diuini, de cælestibus rebus & æternis, de naturalium rerum causis & effectis, de regionibus, de ciuitatibus, de legibus, de moribus, de doctrinis & artibus concinendum est? vt eum, si omnium sensibus & mentibus satisfacere velit, vniuersam doctrinarum rationem comprehendisse necesse sit. Nihil ergo dices poëtæ licebit ignorare? Primùm immensa & infinita res est; neque huma-


num ingenium potest omnium doctrinarum cognitionem assequi: nec poëta non profitetur peculiarem artium illarum tractationem, quæ eorũ est qui omne studium suum in illis cognoscẽdis atque tractandis adhibuerunt: sed quia, nisi eius facultas ex his quoq; studiis perficeretur quæ libero homine digna sunt, ieiuna esset ac quasi nuda poësis, si omnes omnium scientiarum fontes animo tenere nõ potest, at pro se summa degustat, & ex omnibus quasi flores, sententias lectiores decerpit: non vt de recõditis & subtilibus rebus separatim philosophorum more disserat, verùm vt poëma graui & iucunda rerum varietate quasi telam intexto multiplici ornatu distinguat. Ex quo maiori laude eum afficimus, in quo maior scientiarum efflorescit cognitio. Itaque poëtarum facilè princeps Homerus summis laudibus cumulatur, quoniam sua illa diuina poëmata omnium scientiarum ornamentis quasi gemmis & luminibus illustrauit. à quo vno fonte omnium rerum doctrina effluxisse videtur. Aliqui volunt poëtæ solùm munus esse numerosa quadam structura verba coniungere. Quam ergo rem aliam subesse illi dicemus, præterquam inanem quandam curam verborum? Sed & hoc ipsum Grammatici pollicentur, qui syllabas, pedes, carmina dinumerare, dimetiri, & cõstruere docẽt. Quidã fictas & commenticias quasdam res vanas & futiles poëtæ tribuũt, ignorantes vim fabulæ & formam, nec quo illa opere & artificio componatur intelligentes. Atqui poëtæ proprium & præcipuum munus est rectè atque aptè confingere cuiusmodi res aut sunt, aut videntur,

dentur, aut referuntur. Qua in re si peccarit aut ea quæ fieri non possunt, imitando, aut non vt oportet, meritò reprehēdetur; quòd neque rerum probabilitatem viderit, neque personarum decorum obseruauerit: sin verò in his deliquerit quæ sunt aliarum artium propria, leuiorem feret culpam errati; quia minus artis suæ ignoratione, & desidia premetur. Non enim se doctrinarum disputatorem, sed humanarum actionum imitatorem profitetur. Non secus pictori vitio est in conformandis lineamentis & pigmentis aspergendis errare: qui in his rebus quæ ad aliorum facultatem pertinent, si quid ignorans commiserit, iustiore excusatione defenditur. Sic Virgilium, quòd in Africa ceruos esse dixerit, cùm id genus animantis ea regio numquam tulerit, excusat externæ regionis nullo proprio vitio notata ignoratio. Verùm nihil turpius est, quàm aliquem in eo peccare, cuius doctrinā & sciētiam pollicetur.

De fine poëtæ. CAP. V.

ERGO *poëtæ finis est humanarum actionū imitatione & carmine docere simul & delectare. Docet autem quibus in rebus humanæ vitæ felicitas sita sit, atque infelicitas. Hinc quoniam in vsu virtutis posita est ciuilis vitæ beatitudo, secundum verò mores, quæ affectiones animi sunt siue affectionum proprietates quædam, animíque in rem aliquam propensiones, neque felices dicimur, neque miseri, sed quales quidam (vt inquit Aristoteles) nominamur, aut asperi & duri, aut faciles & mi-*





tes, aut continentes & fortes, aut timidi & intemperantes, poëtam ego non morum propriè, sed actionum imitatorem appellauerim, quibus aut miseri sumus, aut beati. quamquam & facta ab ipsis moribus qualia dicuntur. Quin ipsi mores intelligi non possunt, nisi aut verbo, aut actu aliquo exprimantur. Et bonus poëta sic actiones fingit, vt mores declarent: sicut bonus pictor lineamenta oris ita depingit, vt affectiones animi exprimant. Alioquin languida est, & eneruata poësis. Quoniam igitur quibus actionibus contineatur humanæ vitæ beatitudo & miseria, docet poëta, & festiuitas imitationis carminísque concentus magnam habet delectationem, illum docere, & delectare dicimus. Non ergo Eratosthenem, nec ceteros probo, qui poëtas ad voluptatem omnia referre existimant: licet in poëmate voluptatis solùm gratia quædam interdū confingi non negauerim. Ac doctissimus ille vates, cùm inquit,

Omne tulit pūctum qui miscuit vtile dulci,

duas virtutes poëticæ facultatis ostendit; atque alteram in alterius contubernio & necessitudine desiderari. Sed vtra potior sit voluptas an doctrina, dubitare fortè quispiam posset, quando poëtæ, quæ doceri aperta ratione possunt, ita commenticiis rebus ea circumplicant, vt vana esse, & ad delectationem solùm conquisita credantur. Sed neque erit poëta, si commentis non vtatur, quæ docti homines ingeniosè confingunt, & sapienter explicant. Malim tamen, licet imperitorum vulgus oblectationem aurium & voluptatem magis petat, quàm animi cul-

turam & doctrinam, vt Cicero indisertam prudentiam, quàm stultitiam loquacem; sic ego nullius (vt inquit poëta) veneris poësim, sed eruditam & moratam, quàm versus inopes rerum, nugásque canoras. Quid enim est tam vanum, tam furiosum, tam etiam irridendum, quàm sine vlla subiecta scientia volubilis quidam & inanis strepitus sonantium grandiúmque verborum?

De poëmatis, & poëseos significatione.

CAP. VI.

ET *poëtæ quidem fictio poësis dicetur: poëma verò id quod effingitur, opus inquam poëtæ: vt idem sit inter poësim & poëma discrimen, quod est inter factionem & factum. Illa facientis operam & industriam, hoc operæ & industriæ finem fructúmque significat. Verùm aliquando poësis eadem significationem habet quam poëma; atque etiam interdum ipsius artis notionem suscipit. Nonnulli poëma poëtæ materiam, poësim verò poëmatis formam esse aiunt. Sed qui poëma vel paruum opus esse dicunt, vel poëseos quandam partem, à doctissimorum hominum locutione & sententia discrepant: qui Homeri Odysseam & Iliadem poëmata nuncupant. Et veluti primùm ipsum verbũ* ποιεῖν *(vt antè diximus) latiùs manat, sic quæ inde vocabula deriuantur, eadem vi verbi in plurium rerum significationẽ diffunduntur. Sæpè enim vnius verbi multiplex est notatio.*

De generibus poëticæ.
Cap. VII.

CETERVM *poëticæ nõ est vnum genus. Nam qui Diomedem secuti sunt, totidem poëtarum genera statuerunt, quot in species carmen ille diuiserat, nempe heroicum, tragicum, comicum, melicum, satyricum, & choriambicum: qui verò Cæsium Bassum autorem probant, poëtarum alios epicos aut heroicos siue dactylicos (nam horum est pæne eadem significatio) alios epigrammatarios, alios iambicos, alios lyricos, alios tragicos, alios satyricos, alios comicos, alios mimos faciunt. Nonnullis placet Isacius Tzetzes Lycophronis interpres vndecim poëtarum genera enumerans, scilicet heroicorum, lyricorum, dithyrambicorum, iambographorum: quorum alios facit tragicos, alios satyricos, alios comicos; tum elegorum, epigrammatographorum, anathematicorum, hymnographorum, aimatographorum, epithalamiographorum, & monodorũ. Omitto illa genera quæ aut solùm ex inscriptionibus, aut ex earum rerum silua quas tractant, desumuntur. Cuius sanè modi infinita propè genera poëtarum fierent. Multa etiam sunt horum genera inter se coniuncta, quæ separari nullo modo possent. atqui genus à genere omni ratione diuersum est, atque seiunctum. Nec illa referam inter poëmatum genera, videlicet narratiuum, actiuum, mixtum: quæ magis ad disparilem quendam modum imitandi pertinent, quàm ad vniuersam poëticæ vim & facultatem certis quibusdam & propriis differentiis partien-*

partiendum. Quorum diuisiones non sequi monet Aristotelis auctoritas. Nam ex carminum varietate poëtarum dissimilitudinem notare, hoc est fictionẽ tollere; quæ est forma poëmatis. Omitto quòd nullum certum numerum formarum præscribunt, quæ definitæ esse debent. Ad hæc minus probauerim poëticam in scenicam & lyricam diuidi; rursumq́; lyricam in pyrrhicam, gymnopædicam, & hypocrematicam. Nam in scena quædam nunc aguntur, quæ ante scenam quoque agebantur, vt tragicæ actiones; siquidem in his primus Aeschylus fertur σκηνογραφίαν excogitasse. Quin constat in scena quoduis poëma recitari solitum fuisse. Tum præter lyram multa alia sunt Musica instrumenta, ad quorum modulationem carmina canebantur, velut tibia, fistula, cithara, si non eadem ipsa est quæ lyra. Neque solùm carmina, verùm etiam saltationes componebant ad numeros tibiarum. Multa præterea sunt, quæ neque in scenam prodeunt, neque ad lyram canuntur. Nec video quam poëticæ vim & proprietatem attingant scena & lyra, vt tamquam propriis & insitis notionibus poëticæ formas inter se distinguant. Ego verò existimo, quoniam humanæ actiones omnes, quarum imitatio est poësis, aut bonæ sunt & laudabiles, aut malæ & vituperandæ; bonas voco, quæ sunt cum virtute coniunctæ, malas verò, quæ oriuntur è vitiis: poëtarum duo genera apud veteres primùm extitisse, alterum laudandi, alterum maledicendi gratia comparatum, quod iambicum appellarunt. nam ἰαμβίζειν apud Græcos maledicere & procacem esse significat. Ac tum quidem

iambici poëtæ cùm aliquem vellicare instituerant, sine vlla personarum ficta inductione per se ipsi mores illius & vitam apertè palámque carpebat. Quæ res cùm & molesta & odiosa esset, ac sæpe etiam inimicitiis arderet, vt inuidiam à sua persona depellerent, aliorum personas, & fictas alias postmodum induxerunt, quæ malos homines maledictis figerent. Cuiusmodi fabulas Crates apud Athenienses primus commentus fuisse perhibetur. Atque hæc ea comœdia fuit, quam veterem dicunt. Cui quemadmodum media, & mediæ noua successerit, suo loco dicetur. At ex illo genere laudatiuo melici extitere, qui deorum, heroum, & virorum precationes & laudes ad lyram concinebant: maximè verò Bacchi numen & virtutem celebrabant; à quo dithyrambici dicti sunt. Nam ille dithyrambus ex duplici ortu dicebatur. Hinc tragici emanarunt, qui fictis personis agenda omnia commiserũt. Qui cùm primùm Bacchi de regibus victorias referre consueuissent, in aliorum deinde regum calamitates iuere: cúmque primùm etiam res secundas explicarent, tandem aduersas solùm & infelices & calamitosas retinuerunt, inducta forma grauiore, & aucto numero personarum, & inuento loci ornatu & scenæ cultu commodiore. Quamobrem Aristoteles à dithyrambica poësi tragœdiam ortam esse cõfirmat. Epici quoque ipsi præstantissimorum hominum res bene gestas vel ex sua, vel ex aliorum persona hexametro carmine, & longiore & grandiore vocis sono expresserũt. Et quemadmodum reliquarum artium, sic etiam poëticæ principia satis rudia fuerunt,

fuerunt, tum vsu & experientia perpolita & exculta sunt, certis præceptis instructa, actionibus diuisa, temporibus distincta, locis discreta, ornamentis illustrata. Tandem igitur pöetica in hæc genera abiit, Epicum, Tragicum, Comicum, & Dithyrambicum, siue Melicum. Nam (si Tzetzi credimus) olim dithyrambici iidem erant cum melicis siue lyricis, aliquanto tamen altiores: aut non certè absurdum videtur, quod in melica pöësi præstantissimum est, id potissimum nominasse; quando & ipsum melicum genus à lyræ suauitate & præstantia lyricum nominetur. Cicero tamen à dithyrambico melicum separauit, fortè propter illius orationis tumorem & grauitatem, sicq; in partes quinque pöeticam distribuit: non autem Aristoteles. Non enim illis verbis τῆς αὐλητικῆς ἡ πλείστη, καὶ κιθαριστικῆς melicam pöësim explicari, sed quandam musicam imitationem affinem pöeticæ notari volunt interpretes, quæ vel citharæ sono fit, vel tibiæ, non cuiuscumque, sed ad imitandum aptæ. Nam quæ tibiæ paucis foraminibus constant, idoneæ ad imitandum non sunt. Et quidem istam speciem imitationis ipsemet Aristoteles inquit esse carminis expertem. Nulla verò pöësis expers est carminis. Cur ergo eum non demirer qui Aristotelem dixit pöëticam facultatem tribus generibus discreuisse, Epico, Lyrico, & Dithyrambico? Vbinam tragœdia relicta est, de qua tam multa conscripsit? Hoc verò etiam mirum videtur, bucolicum pöëma fuisse ab illis silentio prætermissum: quod est quidem ex imitatione & carmine, quódque verisimile est omnium esse vetustissimum; cùm ex antiquissimo

quißimo viuendi more productum sit, qui pastoritius & agrestis fuit. An fortè contineri notione Comœdiæ putauerunt? Quod nomen latè adeò patet, vt omnes fabulas dramaticas significationis suæ ambitu comprehendat; quæ in vicis (vicum enim κωμὴ significat apud Græcos) & inuentæ primùm sunt, & actæ; postmodum ex agris in vrbes inuectæ, vt otiosos spectatores oblectarent. Sed cur nullam omnino mentionem eius fecere, cùm à reliquis generibus vim suam distinctā habeat? An quia leui artificio indigeat, & poßit ex aliorum præceptis cognosci? Iam illa genera quæ solùm differentiis carminum inter se distant, vt minus vera, & pöëticæ proprietatem minus attingentia consultò relinquimus: cùm præsertim ad Grammaticorum cognitionem doctrinámque pertineant.

De imitatione, siue fabula.

CAP. VIII.

HOC *autem pacto distributa in suas formas pöëtica, prius ea quæ sunt ipsis communia, deinde varietates ipsarum atque discrimina considerabimus. Et imitatione quidem, & carmine vniuersa genera pöëticæ inter se conueniunt. His enim rebus pöëtica ab aliis artibus & doctrinis differt. Quæ pöëticæ proprietates formis suis inesse debent: quandoquidem species rationem generis æquè omnes recipiunt. Est autem pöëticæ imitatio non dictio, quia rerum imaginem explicet; nam alioquin omnis ars logica, quæ circa locutionem versatur,*

pöëtica

poëtica diceretur, vt Grammatica, vt Rhetorica, vt etiam (ni quid aliud videtur) Dialectica: sed humanarum actionum fictio, quam Græci μῦθον, Latini tum fictionem, tum fabulam vocant. Quod verbum Græcum apud veteres sermonem quoque, aut dictum aliquod indicabat. Nec fabulæ significationis idem est apud scriptores vsus. Nam rhetores fabulam esse finiunt, quæ neque vera, neque veri similia continet; quales sunt Aesopi fabellæ: alij Græcorum δρᾶμα, comœdiarum inquam, vel tragœdiarum actus, fabulas nominant: nos verò humanarum actionum imitationem & fictionis nomine appellamus, & fabulæ: ni etiam velimus aliquo modo imitationē à fabula discernere; vt imitatio actionum sit fictio, fabula verò ipsarum quasi structura & compages actionum. Et quia vt est cuiusque animus affectus & informatus ad virtutes aut vitia, ita sunt hominum actiones vel honestæ, vel turpes, sanè imitatio seu bonarum, seu malarum actionum est adumbratio: in qua exprimēdi sunt affectus, & mores, qui in viuendi consuetudine cernuntur, vt antea diximus. Nec poëta, quemadmodum historicus, res gestas exponit, sed quæ geri potuerunt, aut debuerūt, effingit. Etenim historicus res ab Aenea gestas sincerè pronuntiat: illum poëta sibi tamquam ducis prudentis imaginem ante oculos ponens, res comminiscitur ab eo gestas, quas ducem aliquem bonum & præstantem probabile est pro se gerere potuisse. Quòd si res gestas interdum enarrat, non ea ratione explicat qua gestæ sunt, sed qua vel potuerunt, vel quidem geri debuerunt. Quamobrem

histori-

historicus singulorum res, poëta rerum naturam persequitur, & argumenta fabularum, & nomina personarum confingens. Quocirca ille inquit,

Respicere exemplar vitæ, morûmq. iubebo
Doctum imitatorem.

Quo igitur vniuersæ & communis rerum naturæ scientia melior est, quàm rerum singularium cognitio; certè hoc magis poëticam nos, vel Diodoro repugnante, historiæ præferemus.

De conformatione fabulæ.
Cap. IX.

ERGO *si fabula est fictarum actionum compositio, erunt singulorum poëmatum singulæ fabulæ; & vnius fabulæ similes sibi actiones, actioníque partes. Enimuerò vt oratoris oratio tamquam animal quoddam è membris inter se conuenientibus ritéque connexis construenda est, sic poëma constare è partibus non differentibus, sed similibus debet, atque coniunctis. Si enim diuersi generis actiones, & discrepantes effingas, non magis inter se congruët, quàm dissimilis naturæ membra inter se composita; quæ cuiusdam monstri potius effigiem, quàm alicuius animantis figuram & imaginem reddunt. quale illud est apud Horatium, cuius caput est mulieris, ceruix equina, media pars alata, extrema turpiter in piscem finitur.*

Spectatum admissi risum teneatis amici?

Et pictores in vnica tabella vnicum vel Hippolyti, vel Lacoontis casum depingunt. Atque hoc est quoque in-

que inter historicum poëtámque discrimen; quòd ille multiplices res gestas, atque dissimiles scribit, hic aut vnam modò, aut plures actiones effingit, sed quæ secum conuenientes, & ad vnum eundémque finem tendentes vnum fabulæ quasi corpus efficiãt. Licétque in historia ex iisdem principiis cuncta proficiscantur, & ad eundem exitum spectent, quædam tamen inter se dissimilia sunt adeò, vt nullam omnino secum conuenientiam & coniunctionem naturæ habeant: in poësi conspirare omnia, & quasi concentum quendam seruare pariter debent; nihilque interponi, quod cùm alio aut necessariò, aut probabiliter non cohæreat: atque ita vniuersa connecti oportet, vt nulla res vel subtrahi, vel immutari, vel alium in locum transferri possit, quin tota fabulæ coagmentatio destruatur. Hoc Aristoteles præcepit, hoc, ni fallor, illis verbis sensit Horatius,

Deniq. sit quoduis simplex dũtaxat, & vnũ.

Vnam autem fabulam, non multiplicem appello, non quæ vnam personam respicit: quamquam ab vna illustri persona fabula inscribi potest. Nam vnius hominis actiones sæpe ita dissimiles & variæ sunt, vt constituere vnam fabulam, sibíque similem non possint. Quid enim inquiet Aristoteles ad errores Vlyssis aut vulnus in Parnaso acceptum, aut simulata facit insania? cùm nihil inter se cohæreant, & alterum cùm euenerit, non sit necessarium, nec probabile euenisse alterũ? Extra quam culpam Statius non est, qui à fabula in personam transiens res omnes ab Achille gestas professus est se in Achilleide scripturum: quasi alicuius res gestæ vt historici, sic

etiam

etiam poëtæ materia esset. Sed vnam appello, quæ ex vna, vel ex pluribus actionibus est: è quibus veluti ex eiusdem generis, & apposita partium colligatione vnum corpus integrúmque componitur; quod iustam magnitudinem habens principio, medio, & fine consistit: è cuius aspectu, tamquam ex integri cuiusdam animalis obtutu plena voluptas animo & mẽte percipitur. Principium porro fabulæ est ipsum imitationis initium, quod reliqua antecedit: finis verò postrema pars, quam nulla alia subsequitur: medium autem inter principium, & finem positum illo posterius, hoc prius est. Sed, qua de loquimur, conformationem & vnitatem fabulæ exemplis declaremus. Et argumentum Odysseæ his verbis Aristoteles perstringit. Peregrinans vir quidam multos annos, cui periculum erat à Neptunno, solúsque è sociis superstes, quando res domesticæ ita se habebant, vt & fortunæ à procis absumerentur, & filio insidiæ fierent, pelagi tempestate domum delatus est; atque aggressus inimicos sustulit quos cognouit, incolumisque euasit. Quid in his est quod minus cum aliis consentiat, & ad eundem finem, in quem reliqua, non conferatur? Videamus Iliadis fabulam eodem ingenio & arte compositam. Achilles post ortam de Chriside contentionem vt Briseidem à rege sibi eripi vidit, iratus bello abstinuit. vnde Troiani multa mala Græcis intulere. Sed Patrocli nece vehementiùs commotus in prælium egressus est, nec priùs à pugna destitit, quàm Hectorem amici interfectorem extinxit. Hanc vnam iram, quæ adeò Græcis & Troianis obfuit, decantat in Iliade Homerus.

Homerus. Et Virgilij nónne ex hoc argumento vna fabula cernitur sibi ipsi perpetuò constans? Euerso Ilio sibi & suis noua domicilia Aeneas peregrè inquirens, post multa à Iunone terra maríque tolerata fato in Italiam peruenit: vbi ingente & periculoso bello propter Lauiniam & regnum excitato hostem Turnum superauit. Atqui etiam Senecæ tragœdiæ, quæ inscribitur Hercules furens, argumentum paucis complectamur. Reuertens ab inferis Hercules cùm Thebanum imperium à Lyco per tyrannidem occupatum, & vxorem suam, & liberos, & parentem periclitantes cognouisset, tyrannum occidit: sed à Iunone immißis furiis correptus liberos cum vxore interfecit; sibíque necem consciuisset resumpta iam mente, nisi patris sui preces intercessissent. Neque fabulam multiformem esse arbitreris, quòd plures euentus cõtineat. Nam vna eadémque causa plures effectus aliquando producit: & quæ Herculis reditum ab inferis consecuta sunt, ea propositum poëtæ fuit exprimere. Adhuc quoq; Terentianæ Andriæ argumentum cum his breuiter explicemus. Chremes quidam ciuis Atticus duas filias habebat, quarum alteram putabat amisisse, alteram cupitam à Charino Pamphilo Simonis filio vltrò desponderat: quem vbi sensit amore cuiusdam Glycerij captum, nuptias reuocauit: quas etiamnum Simo dißimulabat, vt animum filij pertentaret. Sed Daui consilio & technis tum filius patri ducturum se vxorem simulanter pollicebatur, tum à nuptiis Chremes deterrebatur suspicione iniecta grauiore. Tandem cùm in angustiis res esset, Critone quodam

peregrino rem omnem aperiente Glycerium ciuis Attica, & filia Chremetis agnoſcitur, Pamphilóq; in vxorem committitur. Nec quiſquam putet non eſſe vnam fabulam, quòd perſonæ geminentur, vt duo iuuenes, duæ virgines, duo ſenes: cuiuſmodi ſunt apud Terentium præter hanc aliæ. Nam vel connexionis, vel amplificationis, vel delectationis cauſa geminantur. Licétque has fabulas duplices appellent, quòd diuerſarum perſonarũ varios euentus exponant; cuiuſmodi quoq. Terentius ipſe Heautontimorumenon ex ſimplici duplicẽ à ſe factã eſſe profitetur; tamen ſi principem ipſam actionem diligenter attendas, quæ in omni fabula ſemper eſt vna, illarum partes inter ſe ritè conuenire perſpexeris, atque ex huius fortuna illius vitæ commutationem ſequi neceſſariò, & ab eadem fabulæ ſolutione in plures perſonas cadere peripetiam. Verumtamen ea fabula quæ euentus non geminat, doctorum hominum iudicio longè laudabilior eſt. Vnum igitur poëma vnam, ſimplicem, & ſibi ſimilem, non multiformem habere debet imitationem.

De epiſodiis, & digreſſionibus.
Cap x.

SED *in ipſa tamen fabulæ conformatione multa ſæpè vel ornandi, vel amplificandi cauſa interſeruntur: quæ huius artis ſcriptores verbo Græco nominant epiſodia. Epiſodium voco non carmen, quod cani ſolitum erat cùm imperatores vel reges primùm vrbem aut caſtra ingrediebantur: quod*

carmen ab aliquibus prosodium nuncupatur: non quod in comœdiis ab actoribus, aut mimis præsertim inter actus fundebatur concitandi solùm risus gratia, nihil ad fabulam pertinens; sed quicquid ad augendam fabulam, vel exornandam intexitur, episodium, quidam vocant egreßionem, vel digreßionem, siue excessum, aut παρέκβασιν rhetorum more: quæ à constitutione rei est, sed ad rei constitutionem pertinens declinatio: quales apud oratores multæ sunt, præsertim in exornatiuo genere, digreßiones, in quo voluptas petitur auditorum. Quicquid igitur non est fabulæ proprium, vel quia declinare ab ipsa fabula videtur, digreßio nominatur, vel quoniam ad amplificandam fabulam interponitur, episodium dicitur. Verùm episodiũ mihi actionum est propriè, non cuiusque rei digreßio, vel exornatio. Et quamuis episodia vbique sedem inueniant, neque solùm in mediis, verùm etiam interdum in vltimis, vt ea sunt apud Homerum quæ mortem Hectoris consequuntur, cadaueris emptio, mulierum lamentationes, pompa & exequiæ; tamen rerum præteritarum commemoratio, tum ne obscura sint ea quæ referenda sunt, tum ne alibi interposita quasi cursum fabulæ interrumpant, in primis locum habent commodiorem. Quod præcipuè tragici & comici obseruant, qui in primo statim actu rem omnem explicãt, ne dubius animus, & eorum quæ finguntur ignarus, ab ipso fabulæ proposito aliò auertatur. Non enim poëta semper à primis rebus, sed interdum à mediis, nonnumquam ab vltimis poëma exorditur. Proindéque virtus argumenti est

ſeruata ratione tẽporis hiſtoriæ modo à primis omnia breuiter ſtrictímque referre, & per ſumma capita rerum leuiter decurrere. Et vniuerſum argumentum ante oculos primùm bonus poëta ſibi proponit, tum accuratè circumſpicit, vnde poëma commodè ac rectè veluti telam ordiatur. Quod igitur in opere primum erit, hoc eius erit initium: quæ autem intexentur, ad epiſodiorum rationem pertinebunt. Sed vnde principium ducat vnaquæq; poëſis, quóque pacto narratio poëtæ differat ab hiſtorici narratione, ſuis locis dicetur accommodatius. Verùm exemplo res dilucidior reddenda eſt. Porro excidium Ilij, quod in ſecundo Aeneidos libro narratur, & Aeneæ poſt euerſionem Ilij errores, & pericula, quæ in tertio exponũtur, nam principium operis ab Aeneæ è Sicilia in Italiam nauigatione ſumi manifeſtum eſt, licet in argumẽti explicatione prima ſint, tamen quia in opere interſeruntur amplificandi gratia, epiſodij rationem habent. Atque hoc eſt quod dixiſſe mihi videtur Ariſtotcles de epiſodiis loquens, præteritis actionibus interpoſitis quaſi vterum poëmatis accreſcere. Ad hæc Didonis interitus in quarto, & ludorum pompa in quinto, & inferorum deſcriptio in ſexto admirabili ornatu fabulam amplificant. Omitto multas & illuſtres locorum, temporum, rerum, & perſonarum deſcriptiones; quibus incredibiliter augetur & ornatur poëſis. Et epopœia quidem, nempe quæ mera narratio eſt, nec breui temporis ſpatio, ſicuti tragœdia, & comœdia, circũſcribitur, & quam decet in magnam amplitudinem augeri, pluribus epiſodiis & digreſ-

ſionibus

sionibus satis bene præ ceteris amplificatur, & perpolitur; non secus ac tabulæ pictorum fluminibus, siluis, auibus, atque id genus aliis ornamentis illuminantur. Est autem digressione opus, cùm ea vel à fabulæ necessitate requiritur non amplificationis modò, verùm etiam connexionis & dissolutionis gratia, vel ornandi causa accersitur, præcipuè cùm locus aliquis asperior inciderit, ne ex graui in aliqua re mora lectoris animus fastidium aliquod molestiámque cōcipiat. Quamobrem si nulla erit horum causa, nullus dabitur ad digrediendum exitus, nullúsque aditus in fabulam episodiis concedetur. Nam quæ loco non adhibentur, non modò rem non exornant, sed deturpant etiam, & obcæcant: cuiusmodi sunt ad eruditionem quandam iuueniliter ostentandam (id quod in Lucano plerique damnarunt) curiosius quædam de reconditis rebus & obscuris exquisitæ disputationes: quæ per se licet pulchræ sint, & admiratione aliqua etiam dignæ, non minus tamen, quàm purpureus ille pannus Horatianus, ab omnibus irridētur. Quid de his loquar, qui cupressum (vt in vulgari Prouerbio est) tantùm simulare scientes, semper eadem, vt sors offert, temere vbique affingunt? Quas fabulas episodia minimè cognata recipientes Aristoteles episodicas vocat. Vt verò videamus quis potissimè locus episodiis debeatur, tota fabulæ constitutio prius animo concipienda est. Intelligetur verò tum sanè aptiorem in connexione locum episodiis esse, quàm in solutione, vbi ad exitum festinatur. Vnum igitur poëma, & simplex sit, non multiplex & deforme; eiúsque partes inter

se sic coniungantur, vt diuelli inuicem distrahique non possint; & ita primis extrema respondeant, vt alia ex aliis expectari, & necessario quodam modo produci & fluere videantur: & ne rerum similitudine satietas generetur, nouitate recreetur auditor. quam delectationem varietas episodiorum & digressionum plurimam afferet.

De fabulæ formis.

CAP. XI.

VERVM *fabulæ sunt plures species. Nam (vt omittam quod è personarum & rerum grauitate, humilitate, mediocritate, grãdis, submissa, temperata dicitur à quibusdam) vis eius primùm aut simplici & expedita, aut implicita & cõnexa actione discernitur. Simplicem voco non, vt antè, vnius generis & modi; cui nimirum duplex opponitur, in qua sunt diuersæ naturæ actiones; nam omniũ fabularum similis debet semper esse conformatio: sed in qua nec (vt verbo Græco vtar) peripetia est, nec agnitio. Connexam verò, quæ aut alteram solam habet, aut vtramque simul. licet magis probetur ea quæ peripetiam cum agnitione coniungit. Est autem peripetia ingens, subita, & inopinata rerum mutatio; quando quis repentè aut ex amico inimicus, aut ex inimico amicus fit, vel ex felici rerum statu in infelicem deiicitur, vel contrà ex infelici in felicem & insperatum restituitur. Non enim quælibet varietas, & parua rerum mutatio peripetia est, sed quæ rerum fortunarúmque naturam etiam atque*

etiam

etiam immutat: atque ea maximè laudatur quæ maximè apta est: quæ videlicet tum ex vi antecedentium rerum nascitur, tum ex subita cognitione proficiscitur. Amicitiæ autem nomine omnem cognationem & affinitatem intelligi volo; & personæ, in quibus fit peripetia, definitæ esse debēt. Agnitio verò est rerum ignotarum, siue personarū vnius aut plurium post longum tempus facta pariter mutuáque cognitio. Quæ sanè tunc optima est, cùm rerum mutationem secum illicò affert. Et agnitionis quædam genera sunt artificiosa, quæ nimirum ipsamet fabulæ dispositio producit; quædam minus artificiosa, quæ disiuncta à constitutione fabulæ poëtæ arbitratu interponuntur, vti sunt signa. Signa vel aduenticia sunt, vel insita; aduenticia vel in corpore sunt, vt cicatrix; vel extra corpus, vt anulus, monile, & his similia: insita vel à natura sunt, vt ingenitum in Thyeste sidus; vel sine quibus personæ numquam inducuntur, vt lancea Gigantum, & Herculis claua. Hæc artificio carere dicimus, quoniam remota sunt à fabula, & conserta pro libidine poëtæ actionum colligationi. Atque vt artificiosa his præferuntur quæ artem non habent, sic illa est pulcherrima agnitio quæ ex ipsa rerum natura probabiliter ducta cum admiratione interuenit aut amicitia coniungens, aut disiungens inimicitia personas, quæ vel miseram vel beatam vitæ rationem inde consecuturæ sunt. sicut in Andria Terentiana Glycerium ciuis Attica interuētu Critonis agnoscitur, qui ad petendam Chrysidis hæreditatem venerat: vnde cum Chremete affinitas iungitur, &

Pamphilo amata Glycerium despondetur. Ad hæc fabula vel morata est, vel pathetica. Morata in exprimẽdis animi affectionibus & qualitatibus versatur, quas mores appellare solemus, aut ingenitis à natura, aut consuetudine contractis: pathetica cædes, vulnera, cruciatus, ceteráque id genus dolorum, & commiserationis habet. siquidem πάθος acerbitatem & dolorem, ac miserabilem aliquem casum nõnumquam significat. Et morata leniores affectus exprimit; quos ἤθες Quintilianus nominat: pathetica vehementiores excitat; qui vocantur πάθη: atque hæc illustriorem actionem poscit, qualem optat tragœdia; illa frequentiùs obscuriorem, qualem comœdia requirit, quamquam interdum non abhorret à nobiliore; sicut Odyssea in rerum grauitate maiore ex parte morata est. Est præterea ex morato & pathetico mixtum quoddam genus, cuius similem esse diceres Aeneidem. Nam in sex prioribus libris, quarto excepto, morati formam cognoscimus; in quarto, & reliquis euentus sunt acerbi, & miserabiles. Sic & comœdiam, quæ grauiorem aliquem casum recipit, & tragœdiam, quæ leniores affectus, & lætitiam infundit, mixtam vocant; nonnulli tamen ducunt fabulam mixtam esse, quæ dißimiles personas, & varios inopinatósque casus admittit. Verumtamen in horum aliquo genere morato inquam, vel pathetico, seu simplex, seu connexa sit, fabula versetur necesse est: videtúrque simplici fabulæ ἦθος magis conuenire, connexæ πάθος: licet interdum nec connexa ἦθος, nec simplex πάθος refugiat. Nam Ilias Homeri & simplex est,

& pa-

& pathetica. ſiquidem omnes fabulæ formæ in vnam potiſsimè epopœiam cadunt.

De fabulæ partibus.

CAP. XII.

EXPOSITIS *partibus quæ fabulæ vim & naturam declarant, breuiter quoque docendæ ſunt partes quæ illius magnitudinem deſcribunt. Eas Ariſtoteles videtur effeciſſe duas, Colligationem, & Solutionem: illam* δέσιν, *hanc* λύσιν *appellauit. Colligatio terminatur eo fabulæ loco, vnde fortunæ conditio aut in meliorem, aut in peiorem partem verti & mutari incipit. In hac rerum perturbatio, in hac turbæ cernuntur; in hac digreſſiones, in hac epiſodia opportuniora ſunt. Solutio fortunæ mutationem explicat aut ſecũdam aut aduerſam, prout res vel ex animi ſententia, vel contrà accidit. Quam ſolutionem in fabulis dramaticis* καταςροφὴν *vocant. Ac porro eouſque protrahenda eſt actio, donec ſolutio contingat: ſempérque nobili, & mirabili aliquo fine concludenda eſt; quo ſpectator ex inopinata rerum permutatione maiorem capiat delectationem. Debet autem fortunæ varietas & permutatio ex ipſa fabulæ diſpoſitione probabiliter, aut neceſſariò proficiſci, vt omnes partes ſeſe naturaliter conſequantur. Quam ſolutionis virtutem in Plauto aliqui deſiderarunt. Eſt adhuc quoddam medium, quo* δέσις λύσιςq. *coniungitur;* μετάβασιν, *ſeu* παράβασιν *aliqui nuncuparunt. Igitur vniuerſa fabulæ compoſitio* σύςασις *dicitur, colligatio*

δέσις, solutio λύσις, μετάβασις qua utraque pars copulatur: quas omnes potißimè in connexis fabulis perspicere possumus.

De ratione fingendi.

Cap. XIII.

NVNC *de ratione fingendi quædam breuiter dicamus. Poëta vel nouam cõfingit materiam, vel ab aliis seu poëtis, siue historicis mutuatur: atque alienam fabulam potest immutato ordine colligationis & solutionis sui iuris efficere; sicut olim Chrysippus dicere solebat se Euripidis Medeam fecisse suam. Id quòd poëta docuit illis versibus,*

Publica materies priuati iuris erit, si
Nec circa vilem, patulúmq. moraberis orbẽ.

& idem,

Ex noto fictum carmen sequar; vt sibi quiuis
Speret idem, sudet multum, frustráq. laboret
Ausus idem. tantùm series iuncturáq. pollet:
Tantum de medio sumptis accedit honoris.

Sed in fingendo semper aut rerum neceßitudinem, aut verisimilitudinem sequi oportet, hoc est, pro cuiusque natura sapienter omnia simulare, vt facilè ab omnibus probentur. Nam eam imitationem probamus, quæ rem propriè reddit. Dico autem poëtam necessariò ea fingere, quæ aliter esse, intelligiue non possunt; vt sapientem hominem futuris prospicere, ciuem bonum de rep. recta sentire, virum fortem æquo animo aduersam fortunam sustinere. Et necessariæ res sunt, quæ naturæ aliquam neceßitatem habent.

habent. Probabiliter verò ea fingit quæ ita fieri contingit, vt tenuiores homines à potentioribus iniuriam pati, & callidum quandoque decipi, & temerarium superari: quemadmodum Agathon aiebat verisimile esse multa fieri præter verisimilitudinem. Quæ igitur neque necessariò, neque probabiliter finguntur, ea vitiosa sunt. Itaque vitio datum est Sophocli, quòd in tragœdia quæ μύσοις inscribitur, mutum quendam ex Tegæa in Mysiam peruenisse fecit. Non enim credibile est mutum, & ignarum viæ, solum, sine duce, tribus diebus, absque vllo errore tantum itineris conficere potuisse, & Theseum Athenis Thebas momento temporis cum exercitu venisse, ac commisisse prælium nulla ratione probabile est. quin etiam post victoriam mox adest nuntius. Apud Aeschylum quoque momento temporis Agamemnon interficitur, & tumulatur, vix vt actori tempus sit respirandi. Et incredibile etiam est in captiuis apud Plautum abiisse Philocratem, & cùm Philopolemo ad Aetolos ex Aulide rediisse paucis horis. Apud Terentium verò non improbabiliter nox intercedit in Heautontimorumeno: cuius dimidia pars vesperi, & transacta ludis Megalensibus nocte altera pars acta est. Si quid tamē vnquam boni poëtæ commenti sunt, quod minus prudēter excogitatum aliis videri potuisset, ita rem adumbrare studuerunt, nihil vt improbabilitatis habere videretur. Itaque Homerus cùm videret minimè conuenire, Vlyssem tantum virum tam graui somno impeditum esse, vt à Phæacibus in Ithacam transuectus nihil omnino sentiret, labores, vigilias,

Alcinoi

Alcinoi hoſpitalitatem, lauationem, conuiuium, proſperam nauigationem, expeditam ſecuritatem, poſtremò Palladis conſilium & operam adhibuit; quæ cuilibet ſapienti viro grauiorem ſomnum attuliſſent. Nihilominus deligunt interdum ea quæ ſpectatoribus iucundiora fore arbitrantur. Vnde riſibus illiberalioribus comici nõnumquam vtuntur, & inducunt portenta præter rerum naturam tragici. Verùm Aeſchylus plus æquo affectaſſe viſus eſt ſpectatores in admirationem & ſtuporem rapere. Illud verò prudentis eſt poëtæ, cùm quippiam vult ab auditore non ignorari, quod ipſi per argumenti conſtructionem docere nõ liceat, perſonam aliquam introducere, quæ rem alteri exponat, quamuis hæc ipſa res illi nota ſit: veluti Neptunus apud Homerum Veneri narrat quo pacto certantem Aeneam à morte eripuerit. neque decebat Deam hoc ignorare. In dramaticis autem fabulis, in quibus magna laus eſt, ſi res ita agantur, vt veræ, non fictæ appareant; theatrorum gratia datum eſt, vt duæ in ſcenis perſonæ loco proximæ, ſed quaſi magnis diſtantes interuallis ita loquantur, vt audiantur procul à populo, ſe ipſæ non exaudiant. atque huiuſmodi alia conceduntur eadem de cauſa. In vniuerſum poëta in ſuo quáſque genere inſigniores perſonas imitari debet: quippe cuius ſumma virtus eſt ipſas rerum formas fingendo exprimere; quemadmodum pictor ſtudet pro re pulchriorem imaginem depingere. Itaque fortitudinis formam ante oculos ſibi proponens ſimilem Achillem effinget, & prudentem Vlyſſem, faciens ea quæ in prudentiæ figura maximè excellunt,

lunt,

lunt, imitabitur: ni quid interdum aliud res moneat, vt à similitudine illa mẽtem abducat. alioquin malum aliquem morem hominis non improbi nulla ratione poscente imitari, sicut Euripides præter rationem Menelaum Orestí propter necem Clytæmnestræ aduersantem induxit, quem æquius erat nepoti subuenire, quàm cognatæ impudicæ causam suscipere, in vitio est imprudentiæ. Idémque Euripides reprehenditur, quòd causas, quæ Alcmeonem ad necem matris impulerunt, nimis leues attulerit. Tum hebetis est & imprudentis repugnãtia fingere, veluti si eum quem deprecantem mortem antè induxerat, nunc contemnentem illam absque vlla ratione inducat. Et Carcinus quòd ageret contraria merito fabula cecidit. Sed etiam ea vis & ars rebus quas fingimus, addẽda est etiam ab actoribus (siquidem iudicium acre de fabulis theatra iudicant, in quibus sese maximè ostendunt) vt cùm aguntur, veræ, non fictæ videantur. Languent enim quæ nullam efficacitatem habent; & ridentur quæ frigida sunt & insulsa. quæ à poëta hoc magis fugienda sunt, quo magis alios mouere & delectare debet. Ad hæc nomina fictis personis apta pro rebus imponat: quæ cùm fingenda sunt, è fonte Græco deriuentur. Græcis enim componendorum nominum facultas liberior concessa est, quàm Latinis. Nomina verò vel propria sunt, quæ singulos homines ostẽdunt, vt Aeneas, Aiax, Chremes; vel communia, vt imperator, miles, parasitus: &, quod mirum certè est, interdum res informes & mutas ita humana specie conformant poëtæ, vt sapere, sentire, loqui faciant.

ciant. Sic paupertatem Aristophanes in Pluto, & in Batrachis ranas. Deorum quoque personæ nonnumquam inducuntur, & quæ cum Diis habent cognationem; quales sunt venti, fortuna, horæ; & quæ ad nostram naturam pertinent, vt somnus, vigilia, mors. Demum omnia & res & nomina sic fingenda sunt, vt de omnibus vel necessaria, vel probabilis causa reddatur.

De mirabilium rerum fictionibus.
CAP. XIIII.

AT dicet fortasse aliquis, non videri sibi probabile vnius Hectoris virtute vniuersum Græcorum exercitum ab oppugnatione vrbis ad naues vsque compelli; nec similitudinem vllam veri esse in his fictionibus, quæ Cyclopes habent, & Scyllas, & naues in lapides, aut in nymphas commutatas, & homines è saxis generatos, & in saxa cōuersos. Quam dubitationem tolli posse existimo, si poëtarum finis ostendatur, & ratio, qua ad fingendum huiusmodi res admirabiles impelluntur. Etenim poëta eò refert omnia, vt auditorem trahat in admirationem; quippe quæ plurimum afferat delectationis & iucunditatis. Est enim iucunda amplificatio. quod autem admirationem habet, ad augendam & amplificandam rem valet. Argumento esse potest, quòd dum rem aliquam narramus, quo mirabilior videatur, magísque delectet, vehementiùs illam augemus. Dico admirabile, quod vel præter naturam euenit, vel præter cōsuetudinem fit: vtrumque

vel no-

vel nouitate, vel rei magnitudine mouet animum & oblectat. Quamobrem poëta vt hunc finem consequatur, res admirandas fingit etiam à probabilitatis forma remotas (cùm probabile sit, vt antea diximus, præter multorum opinionem multa fieri) non tamen contra prudentiam artis, & rationem. Atque imitari debet ea quæ vel sunt, vel fama est ita fuisse, vel ita esse creduntur. Et quia orationem suam ad vulgi sensum accommodat, multitudinis opinionem magis, quàm rerum veritatem in multis sequitur. Itaque stellas in Oceano lauari, & radios solis calidos esse dicit; non quòd ita res sit, sed quòd vulgus ita se rem habere putet. nec quæ de Diis, de Lamiis, de Centauris, de Medusa, de Proteo vulgi fama celebrantur, aspernatur. Tum quoniam in fictis personis ipsam rerum imaginem & formam imitatur, effingit quæ in quoque genere perfecta sunt: quæ si in aliquo inessent, admirandum illum hominem cunctis efficerent. Siquidem rerum excellentium admiratio est. Neque enim paruæ res, neque vsitatæ, neque vulgares dignæ videri solent admiratione. Quid ea quæ ad Deorum potestatem referuntur, non tibi fiunt probabilia? naues opera Cybeles in nymphas conuerti? & Achillis equo à Pallade sermonem tribui? Verùm is iure reprehenditur, qui nulla neque necessaria, neque probabili causa impulsus effingit ea quæ esse fieríue nullo modo possunt. Ac mihi quidem mirabilia fingendi duplex videtur esse ratio, altera delectandi, altera docendi. Delectant solùm, quæ nouitate & stupore animum percellunt. Quæ profectò eo pulchriora

sunt,

sunt, quo minus sunt otiosa; quale illud est apud Virgilium, quòd Aeneas à matre septus nebula Carthaginem ad feram & immanem gentem tutò peruenit, vbi socios comperit, quos amissos iam animum induxerat: qui insperatus & repentinus ducis aspectus maximam cum delectatione admirationem omnibus attulit, & partes fabulæ miro artificio inter se coniunxit. Docent verò, quæ vel hominum mores, vel naturæ causas, vel Deorum numen ostendunt. Ac porro Circem homines in feras conuertentem, intelligis turpem voluptatem esse, quæ homines contagione sua brutos efficit: & Apollo Pythonem sagittis trāsfigens, sol est terræ caliginem & nubes radiis suis dispergens: nec aliud probant tot Deorum de Græcis & Troianis apud Homerum concilia, quàm Deos humana curare. Atqui tenenda semper est veri quædam similitudo,

Nec quodcūq. volet, poscat sibi fabula credi.

Nam tantisper ista miramur, dum recta ratione ficta cognoscimus. Nec est quòd his fingendis liberiorem tibi facultatem sumas, quoniam in Deorum vim & numen cuncta traducas. Non enim admittitur excusatio, quæ nullam probabilem causam habet. Est sanè licentia vitiorum mater; quæ nullam neque decori, neque probabilitatis rationem habens plura quàm oporteat, sibi vindicat,

Delphinū siluis appingens, fluctibus aprum.

Tunc verò magis probabuntur, cùm ita confingentur, vt hæc ex illis quasi necessariò profecta videantur, fiántque consequentia, quæ semper eueniunt. Et quoniam si priora recipiuntur, posteriora parem fidem

fidem captatura ſunt (eſt enim quoddam argumentationis genus ab antecedentibus, vt ſi hoc præcedat, illud quoque cõſequatur) maior fides in illis ſtruenda eſt, quorum probatione nititur conſequentium perſuaſio. Quam virtutem Ariſtoteles in Homero extollit. de quo etiam Horatius ait,

Atque ita mentitur, ſic veris falſa remiſcet,
Primo ne mediũ, medio ne diſcrepet imum.

Neque verò ſolùm probabiliter, ſed etiam molliter fictiones diducendæ ſunt. Nam inſuauia ſunt quæ dura, & coacta ſentiuntur: cuiuſmodi ortus Mineruæ è capite Iouis quibuſdam eſſe videtur. Verùm tamen huiuſmodi mirabilia, quemadmodum pleraque alia, melius narrari poſſunt, quàm in ſcenis agi: in quibus, vt inquit poëta,

Non in auem Progne vertetur, Cadmus in anguem.
Quodcumq. oſtẽdis mihi ſic, incredulus odi.

Ideóque ſunt epopœiæ, quàm tragœdiæ conuenientiora; quoniam probabiliter actu referri nequeunt; in qua ſi tale quid accidet, ab actore aliquo verſibus exponendum erit. Poſtremò illud præcipiendum eſt, vt non multæ res admirandæ ſimul annectantur, ne vel fidem multitudine amittant, vel ſatietatem frequentia pariant.

De decoro. CAP. XV.



SED *totius certè rei caput eſt, videre quid cuique conueniat. cuius decori, quod Græci* πρέπον *appellant, ignoratione non ſolùm (vt inquit Cicero) in vita,*

in vita, sed etiam sæpissimè in oratione, & in poëmatis peccatur. Quod quidem arte comprehẽdi non potest. sapientem natura virum desiderat: licet sub aliquam præceptionem cadat. Spectatur verò maximè in personis. Persona aut est poëtæ, aut aliena, & ficta. Poëta mores graues, & honestos vbique præ se ferre debet, cui fides ex probitatis opinione habeatur. Vt enim quisque animo affectus est, ita rem iudicat; similésque sunt animi affectionibus actiones hominum, atque sermones. Vnde alios poëtas leues, alios intemperantes, alios molles; contrà alios constantes, alios moderatos, alios fortes ex ipsorum oratione discernimus. qui cùm sapientes vitæ magistri, & correctores esse debeant, non corruptores ciuitatis, iure maximo diuinus Plato iubet turpes & obscenos poëtas è rep. sua longius exulare. Cùm aliena persona inducitur, aut nunc primùm effingitur noua, aut iam antè ab aliis descripta est. si descripta est, tunc famam sequi oportet monente Horatio: sic iracundum Achillem, ferocem Medeam, tristem finges Orestem. & veteres fabulas, & receptas innouare prohibet Aristoteles. Quod propter Actius poëta minus laudatur, quòd sapientem Achillem contra poëtarum consensum fecerit: quamuis Ciceroni non displiceat magis facti quandam prudentiam quàm officium poëtæ consideranti. Si noua fingitur,

Seruetur (*quod præcipit Horatius*) ad imum,
Qualis ab incepto processerit, & sibi cõstet.

Igitur qui prudens, qualis Vlysses, inducitur, sapiẽter res agat; & qui pius fingitur, colat, vt Aeneas,

vbique

vbique pietatem; quem verò moribus & animo inconstantem facis, æquabilem teneat in vita inæqualitatem, similis Demeæ Terentiano. Sed & personis conuenire debent actiones. Neque enim eiulatus virum, neque firmitas animi mulierem decet. Vnde Cicero Sophoclem reprehendit, quòd intoleranter dolentem Herculem inducat: ni à poëta factum hoc dicas, quo ingentem vim doloris exprimeret. Verùm à nullo dolore vinci posse fortem virum contendent omnino Stoici. Nec laudatur qui Iphigeniam facit ad aram mortem infracto animo despicientem. Cuius rei gratia personarum attributa circumspicienda sunt accuratissimè, sexus, ætas, genus, studia, conditio, fortuna, & quæ his similia sunt. Nam aliter viri, aliter mulieris, aliter senis, aliter iuuenis, aliter nobilis, aliter obscuri, aliter militis, aliter mercatoris, aliter regis, aliter subditi, aliter diuitis, aliter pauperis actiones instituuntur. quarum qui nescit esse moderator, is decorum seruare non potest. Ipsasq; actiones inter se similes, & quasi germanas esse decet, ne in rebus seriis ioci, aut seria in iocosis adhibeantur, néue tragicæ perturbationes in comœdia excitentur, aut iactentur ridicula comica in tragœdia. Indecorè apud Plautum in Cistellaria Alcesimarchus superos testaturus,

Ita me Dij magni, *iurat*, minutiq. & patellarij,

quod risum magis excitat, quàm religionem: idémque adolescẽs cum gladio in scenam inducitur tamquam sibi necem ipse consciturus. quod factum vt nimis tragicum in comœdia damnant. Quamobrem, quoniam poëtica imitatio ab ipsa verisimilitu-

dine commendatur, si personæ aut dicentes, aut facientes ita inducantur, vt ab omnibus probentur, quod nihil à sua indole & vita alienum dicant, vel faciant, in summa laude ponetur. Refértque non parum quo pacto singula ab actoribus referantur; quoniam eosdem ipsi affectus induant necesse est, quibus aliorum animos commouere curant.

Vt ridentibus arrident, ita flentibus adsunt
Humani vultus.

Ac meo quidem iudicio, vt in certa quædam capita rem diducamus, poëmatis decorũm spectari præcipuè debet in moribus, sententiis, & verbis. Mores, vt dictum est antè, affectiones animi sunt aut insitæ & naturales, aut studio & consuetudine cõparatæ. Nam à natura varios mores assequimur; & diuersa loca, & ætates magnam afferunt gignúntque morum varietatem; alia quoque ratio viuendi alios mores postulat. quos summa virtus est, scitè, vt tempus & ætas ferunt, exprimere. Ac sanè mores diuersi ab eius temporis quo inducuntur, moribus esse non debent, sed omnino consimiles. Quis enim reges vltro citróque se his contumeliis afficiẽtes, quas Agamemnon & Achilles apud Homerum in se vicißim coniiciunt, nostris temporibus si faciat, non cum stomacho exsibiletur? Decorum autem non solùm ratione, sed etiam opinione cernitur. De moribus eruditè & pulchrè Horatius in arte poëtica: sed Aristoteles, quo nemo fuit in hominum naturis, studiis, & actionibus dignoscendis describendisq́; perspicacior, ita plenè & ornatè in Rhetoricis disputauit, vt eorum ratio ex hoc vno fonte copiosissimè peti

ſimè peti poßit. At ſententiam, non dictum aliquod celebre hominum opinioni accommodatum, quid ſequendum, quid fugiendum ſit docens, ſed mentem & ſenſum voco, quam Græci ἔννοιαν, quaſi ἐν τῷ νῷ dixerunt. Nam id etiam poëtæ accuratè explicandum eſt, quo quis animi ſenſu, conſilio, & ratione ad agendum rem aliquam impellitur: vnde quid ex voto, quid contra ſententiam eueniat, intelligatur. Quas ſententias pro dißimilibus hominum ingeniis & ſtudiis diuerſas eſſe clarum eſt. Ceterùm illæ ſententiæ, quæ ſunt celebria quædam dicta, poëſim quaſi luminibus illuſtrant: quas qui damnant, poëmatis ornatum & ſplendorem non vident; qui frequentius vtuntur, non plurimum ſæpe commendantur. Non enim coagmentandæ, ſed tamquam gemmæ diſponendæ, & annectendæ ſunt. Poſtremò eſſe debet apta & conueniens moribus, ſententiisq́; oratio; quæ animi & ſenſus explicatio eſt. Neque enim ſemper, neque apud omnes, neque pro omnibus eodem modo dicendum arbitror cum Cicerone; nec decere verbum ponere in humili, quod in alta oratione conueniret. Sed tamē videre quid cuique conueniat, prudentiæ magis eſt, quàm artis.

De carmine. CAP. XVI.

DE *carmine verò, quo tamquam inſtrumento ad explicandam fabulam poëta vtitur, quoniam de eo Grammatici copioſißimè diſſeruerunt, multa nobis dicenda non arbitror. Rem tamen altius paulo repetentes omnem locutionem eſſe nume-*

ris vel solutam, vel connexam dicimus. Numerum Latini vocant tum Græcorum ἀριθμὸν, hoc est diuisam magnitudinem, tum Musicorum ῥυθμὸν, quem opinor rectè finierim longorum & breuium interuallorum conspirantem percußionem. Totus enim est in motu breuis & longi temporis. Neque solùm venit in orationem, sed etiam in saltationem, pulsum, cantum, & sonum, & in ea in quibus motus quidam inesse videntur. Itaque Cicero numerum, inquit, voco quicquid sub aurium mensuram cadit. ipsæ autem aures temporum spatia motúsque mensurant. Atque habet vnaquæque syllaba motum suum, & interuallum, breue quidem, cuius est concitatior sonus; cuius verò productior, longum. Syllabarum autem certo numero collocata dispositio, pes est. at pedum certa coniunctio μέτρον à mensura, Latini à canendo carmen appellarunt. Quare metrum est rythmi species, in vocum contractione & incitatione consistens, ac certis interuallis numerísque conclusa. Igitur soluta oratio dicitur, non quæ errat & fugit, sed quæ relaxatur à neceßitate quadam numerorum, & liberius verba coniungit; qualis est vulgaris & quotidianus sermo, à quo philosophorum dictio non abhorret, atque ei simillimus est is quo in epistolis vtimur. At numeris quibusdam quasi vinculis astricta oratio numerosam habet dimensionẽ. Cuius duæ sunt formæ; altera poëtarum propria, definitis numeris & modis verborum alligata connexio, altera oratorum ab hac poëtarum moderatione & conclusione vocum ad delectationem auriũ deducta compositio,

positio, liberior, modísque remißior: quæ nec ita soluta est, vt vagetur; nec tota constans è numeris, vt versum efficiat, sed apta verborum temperatione & interuallorum dimensione numerosa. Vnde oratorum rythmos à poëtarum metris sic inter se differre docet Quintilianus, quòd illi tantùm spatiis, hæc etiam ordine certo concluduntur; illis, quia syllabarum & pedum nullum præscriptum seruant; sed quandam aurium mensuram sequuntur, licet pedes immutare, & pro anapæsto dactylum, quòd inter se sint spatiis æquales, & pro iambo trocheum ponere, quòd eorum paria sint interualla; hæc, quibus pedum rata lex est, alterum in alterius sede collocare non possunt: illis sunt libera spatia, & quomodo cœperunt vsque in aliud genus rythmi decurrunt; his & spatia certa, & clausulæ sunt definitæ. Ex his ergo versum descripseris orationem arctiore pedum lege coërcitam: arctiore inquam oratoris oratione, cuius numeri sunt liberiores. Neq; si de Pindaro dixit Horatius ——— numerisq. feretur

Lege solutis, *lyricum poëtam credideris certam dimensionem non habere: sed quoniam illi multa simul metra, quæ voluerit, primùm accipere licet, atque ea quemadmodum libuerit inter se componere, quorum tamen & numerum, & ordinem deinceps in conuersionibus, quas verbo Græco* στροφὰς *nominant, perpetuò seruet, numeris fertur lege solutis. Omitto quòd dithyrambici sine vlla carminum conuersione incerto versuum numero pro libidine feruntur. quæ res obscura non esset, si dithyrambica Pindari haberemus. Quin lyricorum quidã versus*

remoto cantu insuaues, ac velut fabularum plerique senarij à modis soluti videntur, non quòd numeris careant, sed quòd his pedibus consistant, qui sponte in communem sermonem veniunt, & nolentibus nobis versum efficiunt; quales sunt maximè iambus, trocheus, anapæstus: in quibus modi, quoniam vsitatißimi sunt, minus intelliguntur. Atqui syllabarum tempora & spatia, pedum etiam & carminum varietatem docent Grammatici, quorum tota est metrica ratio, quæ in numerorum tractatione consistit: nos poëticæ dictionis ornatum breuiter explicemus.

De poëticæ dictionis ornatu.

CAP. XVII.

QVEM *equidem ornatum in varietate & elegantia verborũ positum videmus: illa dißimilitudine satietati occurrit, hæc bonitate dictionem commendat. Quamobrem primùm verborum immensa & infinita penè tamquam silua ad variandam & distinguendam orationem comparanda est; mox adhibendum iudicium & delectus, ne imprudenter hac copia vtamur. Quæ bonorum verborum electio, vsus, & copia est origo & fundamentum eloquentiæ. Constat autem ornatus è simplicibus verbis, atque coniunctis. E simplicibus ad rem declarandam valent propria; ad illustrandam verò (vt eloquentiæ parens Cicero sentit) inusitata, nouata, trãslata, oratori quidem & poëtæ communia, sed poëtæ liberiora. Propria voco, quæ penè videntur*

nata

nata cum rebus ipsis, quæque rem maximè declarant. sed ex his fugienda sunt peregrina, humilia, obsoleta, horrida, aspera, inania, exilia; deligẽda Latina, grauia, illustria, nitida, leuia, plena, sonantia: quibus sic abundabit, vt verbum nullum excidat nisi elegans, & exquisitum ad sonum. At inusitata, prisca, & vetusta, loco tamen posita, & quoad ferat consuetudo, grandiorem & antiquiorem facere videtur orationem. Nouata verò, seu reperta fiunt aut similitudine, sicut Horatius iuuenescit verbum fecit, quoniam dicitur feruescit; aut deriuatione, vt à cura curaturam Terentius deduxit; aut coniunctione, vt expectorat, omnipotens, veliuolum, quæ poëtis sunt familiarissima; aut nominis fictione, velut mugire, rugire, balare. Tunc autem sunt noua, cùm primùm excuduntur. Quorum quidem faciendorũ semper fuit in poëtis maior licentia, quàm in oratoribus. quoniam poëtæ ad certam pedum necessitatem compulsi, & semoti à recta quasi via eloquendi non quædam modò verba mutare, sed etiam extendere, corripere, conuertere, diuidere coguntur. Itaque illorum est totus, qui dictionem transformat (vt Græcè dicam) μεταπλασμός. Sed translata præcipuè tamquam stellis notant, & illuminant orationem. Est autem translatio, quæ à Græcis μεταφορὰ dicitur, tropus à propria significatione ad non propriam verbum per similitudinem transferens, vt saxi de vertice, gannire hominem, scatere siluas, viridis ætas, indignatur Araxis. Transferuntur autẽ verba vel inopiæ, vt sitire agros, gemmare vites, lætas segetes, laborare fructus dicimus,

quia propria non habemus; vel maioris significātiæ, vt inflammatus amore; vel decoris gratia, vt concionum procellæ, flumen orationis. In quibus primùm omnium fugienda eſt diſsimilitudo. etenim qui cæli fornices dixit, non vidit in ſphæra fornicis ſimilitudinem non ineſſe. tum reprehenditur longius euocata ſimilitudo: ſiquidem Cicero mallet dici ſcopulum patrimonij, quàm ſyrtim. quinetiam repudiatur anguſtius verbum, nimirum dixeris melius vetas, quàm abnutas; nec durius probatur, veluti capitis niues: quod oratores interdum ſolent aliqua præpoſita dictione emollire. poſtremò aduertendum ne qua inſit in ſimili turpitudo, ſordiúmue ſuſpicio, vt in his, caſtrata reſp. morte Camilli, & Glaucia ſtercus curiæ. Sed enim ſumma laus tranſlationis eſt, vt animum feriat, & huc illúcque moueat: qui celer animi motus per ſe ipſe delectat. Et quoniam ex omnibus ſenſibus, qui tamquam nuntij ea quæ percipiunt, ad animum deferunt, acerrimus eſt oculorum in conſpectu mentis ea ponens quæ vidit, ad hunc maximè tranſlationem verborum admoueamus. Cúmque poëta ſit vt in priſcis minimè parcus, ſic in tranſlatis maximè audax, tum verò audacior eſto in his quæ ſuauitatis, claritatis, ſplendoris, & ornatus gratia transfert. Quorum ea mihi videntur mirum in modum elata, quæ his rebus quæ ſentiendi vi carent, ſenſum & mentem attribuunt, vt —pontem indignatus Araxis. At ex pluribus tranſlatis verbis fit allegoria, quæ aliud dicit, aliud vult intelligi:

Sed nos

Sed nos immēſum ſpatio cōfecimus æquor.

& Horatius,

O nauis referent in mare te noui
Fluctus.

quæ cauendum ne pluribus tranſlationibus obſcuretur. Ideóq. parcius ea nobis vtēdum eſt. Et μετωνυμία, ſiue ὑπαλλαγὴ dicta à Latinis tranſmutatio, aut transnominatio nomen pro nomine ponēs orationi magnum ſplendorem & ornatū accerſit. Nam pro re inuenta inuentorem ſubiicit, Tum Cererem corruptam vndis; & pro eo quod cōtinetur, id quod continet, Nunc pateras libate Ioui; & id quod efficitur, pro eo quod efficit, Pallentéſque habitāt morbi; & contrario modo verba immutat, Vinum precemur, videlicet Bacchum, quod eſt quidem durius, & Vina coronant, & Melior remis; atque etiam eleganter à re poſſeſſa nomen ad poſſeſſorem traducit,

Iam proximus ardet Vcalegon. *Cui finitima eſt συνεκδοχὴ, Latinè intellectio, quæ aliud ex alio intelligit, aut ex parte totum, Puppéſque tuæ, pubéſque tuorum; aut ex toto partem, Fontémque, ignémque ferebant; aut ex forma genus, Quicumque Bithyna laceſſit Carpathium pelagus carina; aut ex vno plures, Hoſtis habet muros; aut ex materia opus, Ferro accinctus; aut quocumque modo aliud ex alio intelligit. Abutitur etiam interdum verbo licentius poëta breuem pro paruo dicens, & pro magno grandem, & pro conficere ædificare: quamquam hæc omnia quodammodo tranſlata videntur. Igitur ſingulorum verborum ornatus exiſtit ex priſcis, nouis, & tranſlatis; quæ præ ceteris*

ad ora-

ad orationis laudem & cultum pertinent. At continuatio verborum certis numeris & modis (vt suprà ostendimus) alliganda est. In qua (ne dicam esse fugienda vitia corrupti sermonis, & obscuritatis. nam ad laudem non satis est culpam vitasse; virtutes multæ requiruntur) ita debent verba collocari, vt neque sit asper, neque hiulcus, nec diffluens, dissolutúsue concursus. Cuius rei sunt iudices aures ipsæ non agrestes, sed humanæ & cultæ; quæ lædantur horridis, offendantur vastis, respuant inconcinna. Asperiores literæ simul iunctæ durum sonum, concurrentes cohærentésque vocales hiantem reddunt. Percussiones verò interuallorum si dictionibus terminentur, laxum & solutum, ac subsultans carmen efficiunt: contrà viriliter incedit, cuius dictiones pedum structura quasi nodis constringuntur. Permutatio quoque pedum quantum variat orationis formam ex dissolutis apta, ex aptis faciens dissoluta! Quod iudicium ordinandi verba ita vt extet concinnitas aptior, & ad rem exprimendam accommodatior, natura in auribus posuit: quæ ad carminum summorum poëtarum sonum assuefaciendæ, non incultæ relinquendæ sunt: quemadmodum qui in siluis & agris educantur, expertes fiũt ciuilis consuetudinis & morum. Quid de virtutibus & ornamentis loquar, quæ afferuntur orationi ex ipsa collocatione verborum? Longum certè, & arduum opus, quódque maiore doctrina, acriore iudicio, vsu indiget longiore. Quanta nitet ex circumlocutione maiestas! quæ id quod paucioribus verbis dicitur, pluribus explicat, & grauioribus! Elata

sanè

sanè dicendi figura, & summoperè culta à poëtis, & illorum ferè propria,

Et iam prima nouo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens aurora cubile.

Quid Hyperbole, quæ rem incredibiliter tollit, quãtum extollit orationem, quantámque in admirationem animum rapit poëtis vsitatißima!

———geminique minantur
In cælum scopuli. *Quantus epithetorum ornatus, cùm rem exprimunt, & illustrant! tristia bella, puniceus color rosæ, aspera nigris æquora ventis, alma Venus, vmbrosa ripa, silens nemus: quæ sunt gratiora, cùm translatione decorãtur. Tot præterea sunt verborum conformationes, & ornamenta sententiarum, quibus illuminatur oratio, vt illis explicandis maiore studio & labore opus sit. Sed & ipsi dicendi magistri horum definitiones & exempla subtiliter & copiose explicant, in poëtis, quorum prior extitit orationis cultura, quàm in oratoribus amplius notata: à quibus non pudebit nos repetere eos fructus quos ex poëtarum libris collegerunt. Non possum tamen quosdã non irridere qui verba de industria traiiciunt; vnde potius obscuratur id quod dici volunt, quàm intelligitur; multa etiam inania inculcant, & tamquam in rimas inferciunt non ornamenta carminum, sed complementa, & quædam quasi fulcra, quibus structura verborum & ædificatio sustineatur sine vllo delectu, ornatu, & decoro. At in poëta (vt summatim loquamur) qui sese ab initio ita comparare debet, vt aures omnibus insidiis capiat, lecta verba esse debent, sonantia, &*

tia, & grauia, multísque conformationibus temperata; verborúmque continuatio elegans, ampla, fluens, ornata figuris, distincta luminibus, apta modis, cadens iucundè, explens aures, grauitate, maiestate, venustate condita, nihil insolens, nihil ineptum, nihil asperum & horridum habens, omnia nitida, omnia decentia, omnia ratione & arte moderata. Quoniam verò debet oratio rebus conuenire, & res aliæ graues & elatæ natura sunt, aliæ tenues & demissa, aliæ mediocres; dicendi quoque facies, χαρακτὴρ Græcè, effigies inquam rei non vna est, sed alia sublimis, alia humilis, alia temperata. Ergo tria genera dicendi; ἁνδρὸν, magnum, graue, vber, amplum, generosum & summum; ἰσχνὸν gracile, subtile, tenue, humile & demissum; μέσον medium vtriusque particeps & temperatum. Amplum illud & copiosum genus maiestatem verborum, grauitatem sententiarum, illustria ornamentā, constantem & elaboratā concinnitatem amat; in tenui simplex, lenis, pura, & de medio panè sumpta oratio, nec in delibandis floribus dictionis occupata; at medium neque fluit, vt tenue, nec incedit, vt graue; neque planum, vt exile; neque tumidum, vt grande, inter vtrumque consistit, & permulcens auditoris animum leni lapsu peruoluitur, nitida & quadrata oratione compositum, floridum totum & amœnum, & verborum ornatu & numerorum sono iucundum. Sunt tamen cuiusque generis propria quædam vitia, tamquam scopuli, euitāda. Nam in graui tumor per se ipse fastidiosus & insuauis est; nec grata est nimia diligentia, quæ mollem & eneruа-

eneruatam reddit orationem. Cuius rei gratia fugienda est κακοζηλία, quæ plura quàm necesse sit, & insolentius quàm deceat, exquirens minus efficit quàm debet, quoniam plus audet quàm par est. Verùm tenue siccitate, velut macie, tabescit; vt'que illud grande genus orationis fertur ingente strepitu & fragore, sic humile hoc insistit, & in ipso cursu languidum & iners subsidet. Itaque medium genus mediocritate sua contentum nec trepidat remitti, ne gracile fiat & exile; nec affectat attolli, ne superbius exultet. Præclaréque Horatius

——sectantem leuia nerui
Deficiũt, animiques; professus grãdia turget.
Serpit humi tutus nimiũ, timidusq. procellę.

Siquidem, vt idem inquit,

In vitium ducit culpæ fuga, si caret arte.

Tot igitur dicendi genera sunt, & in his ipsis generibus quidam gradus. Nam & infimum quandoque attollitur, & demittitur interdum graue, prout res ipsa desiderat: sic tamen vt ille grauis dignitatis suæ meminerit, & spiret etiam in paruis magna; & tenuis exilitatis suæ in magnis non obliuiscatur. Quàm grauiter & ornatè in Aeneide Virgilius formicarum atque apum officia describit!

Feruet opus, redolentque thymo flagrantia mella.

& de Deo loquens in Bucolicis non tonantem illum, non fulgurantem facit, sed quàm aptè ad rem inquit!

Ille meos errare boues, vt cernis, & ipsum
Ludere quę vellem calamo permisit agresti.

Neque

Neque illud negligendum est, quod monent prudentes quidã viri, vt poëmatis partes omnes æqualiter ornemus, ne nimius splendor vnius alterius nitori officiat. Atque etiam rectè præcipit Aristoteles, ne quæ partes moratæ & sententiarum grauitate nobiles per se sunt, insigni verborum ornatu illustrentur, quo maiestatem rerum & splendorem amittant: illuminentur verò splendidioribus verbis minus moratæ partes & sententiarum pauperiores; vt saltem orationis pulchritudine commendentur. Quæ verò (vt Horatius consulit)

Desperas tractata nitescere posse, relinquas.

Nihil enim patimur in poëta quod perfectum perpolitúmque non sit. & cùm cetera exornaueris, tandem caue, ne illud ex eodem poëta dicatur,

Infelix operis summa, quia ponere totum
Nesciit.

Quòd potior imitationis cura, quàm carminis habenda sit.

CAP. XVIII.

QVOD *si maior est habenda rerum cura, quàm verborum, quæ significationes sunt rerum, illásque prouisas sequuntur non inuita, poëta primùm omniũ fabulam sollerter excogitet, dispónátque prudenter, vt quæ maximè vim, officium, & finem poëseos, quo nihil est in omni re maius, attingat. Etenim si poëtæ munus est humanas actiones imitari, certè studium imitationis in poëta præcipuum esse debet: Nec ipsa imitatione quicquam*

difficilius

difficilius est. cuius laudem pauci ac vix vnquam plenè assecuti sunt. Atque vt potissimùm lineamenta spectantur in pictura, sic in poëmate fabula. Tota igitur materia primùm inuenienda; deinde disponenda, ne cogitationibus nouis interuenientibus constitutio fabulæ perturbetur; postremò verborum ornatu vestienda est. At verò ingenium suum quisque rectè cognoscat, vt intelligat in quam rem natura feratur: ne quid tum inuita Minerua. Diligenter etiam vires suas examinet, vt ne quod negotium sustinere non possit, inconsideratè suscipiat. Quod totum Horatius illis versibus apertè nos docuit:

Sumite materiã vestris qui scribitis æquam
Viribus,& versate diu, quid ferre recusent,
Quid valeant humeri. Cui lecta potenter erit res,
Nec facundia deseret hũc,nec lucidus ordo.

De pulchritudine poëmatis.
Cap. XIX.

SED *de fabula & carmine opinor iam satis. Reliquum est, vt, quando poëticæ vim, naturam & formam quasi typo expressimus, illius pulchritudinem paulisper animo & cogitatione intueamur. Equidem pulchrum à dulci non separo, sed poëma perfectum, & omnibus numeris absolutum cum Platone pulchrum appello: cui pulchrum & perfectum idem est. Est autem pulchritudo apta par-*

E tium

tium inter se quodam cum lepore cōiunctio. Quam duplicem volunt; vnam animi, quæ est ipsa honestas, eadémque est sapientia; quæ incredibiles amores excitaret sui, si cerneretur; alteram corporis: atque hanc vel visu capi, vel auditu, quæ harmonia dicitur. Sanè Aristoteles duabus rebus constare pulchritudinem inquit; magnitudine, quæ est iusta partium moles atque mensura; & conuenientia, quæ est debita membrorum inter se compositio: sed Plato etiam coloris quandam suauitatem requirit. Quæ nisi insint in poëmate, pulchrum esse non poterit. Eius magnitudo est debita fabulæ moderatio, ne maior, minórue sit, quæ memoriæ vim aut superet amplitudine, aut fugiat exiguitate. Et ad totius conformationem rata proportione respondere partes inter se debent, ne fabula in caput excrescat; & tragœdia prologo absumatur. Accedit compositio, quæ partes suo quamque loco disponit: quarum conspiratio totum opus apta coniunctione conformat. Vltima est suauitas non in imitationis modo, verùm etiam in carminis ornatu & venustate sita. Ac fabulæ quidem magnitudinem, & compositionem animus; orationis verò concentum & suauitatem, numerorum iudices aures percipiunt. Et non secus ea quæ formosa sunt, aut vtilitatem, aut voluptatem, aut vtramque simul (vt censet Plato) afferre solent; sic decora & ornata poësis prodest, simul atque delectat. Verumenimuerò nihil est inter mortales omni ex parte perfectum; neque vllum poëma vndequaque absolutum. Sed vt in formoso ore sæpe quidam sunt

naeui, qui non aegrè inspiciuntur; sic paruis maculis alioquin elegantis & concinni poëmatis non facilè vir prudens & eruditus offenditur. At quis obsecro prauum nasum ferat, quamuis oculi sint venusti? Quòd si panegyricam orationem Isocrates annis decem limauit; si Plato Dialogos suos natus annos octoginta nondum emiserat, vt nihil prodiret, nisi castigatum ad vnguem; quanto maior in emendandis poëmatis adhiberi diligentia debet, quae sunt ipsis dialogis & orationibus praestantiora? Itaque ille meritò praecepit,

—nonumque prematur in annum.

Non equidem si mediocres artifices sustinemus, poëtam etiam feremus in mediocritate consistere: cui non multa licent; cui non quaeuis sententia, non quaelibet vox, non quaecumque iunctura & numeri conceduntur; cuius diuitiae non in copia positae sunt, sed in electis opibus consistunt; in quo perpetuam quandam magnificentiam, grauitatem, auctoritatem, magnitudinem, & sententiarum atque verborum amplitudinem desideramus; quem postremò in omni re volumus excellere: quia non approbationem solùm, verùm etiam mouere debet admirationem; quae in hominum animis dominatur & imperat. Itaque

—mediocribus esse poëtis
Non homines, non dij, non concessere columnae.

Quamobrem si Cicero bonos perquamdiu nullos, vix autem singulis aetatibus singulos oratores scribit inueniri tolerabiles; cui mirũ erit, si multis seculis

vix vnum poëtam bonum reperiamus? Sed hoc quidem est è diuina quadam magis, quàm ex humana facultate, vt quis magno ingenio praeditus, non vulgari doctrina eruditus, omnium magnarum rerum & artium cognitione instructus humanas actiones prudenter & ornatè imitetur & explicet. Non igitur absque ratione poëtam eadem laurea corona qua imperatores, vtpote singularem & perfectum virum, donauerunt.

IO. AN-



IO. ANTONII VIPERANI DE POETICA LIB. II.

De poëmatum differentiis.

CAP. I.

LIBRO *primo disputata sunt ea quæ omnibus poëticæ formis communia sunt: hoc altero propriam cuiusque rationem speciatim & definitè tradémus. Sed illarum prius inter se discrimina ostendemus; quorum alterum in his quibus effingimus; alterum in his quæ finguntur; tertium in modo fingendi positum est. Primum vim habet instrumentorum, medium materiæ, postremum formæ. Ad primum illud Harmonia, Rhythmus, siue Saltatio, & Carmen veniunt: quibus poëtæ vel promiscuè simul omnibus, vt Lyrici & Dithyrambici; vel separatim, vt Tragici atque Comici (quamquam Comœdiæ chorus, penes quem erat saltationis vsus, ob nimiam maledicendi licentiam postmodum interdictus fuit) vel illarum aliqua tantùm vtuntur, vt Epici, quos saltationis & harmoniæ cura non attigit. Altera, quæ ex re oritur, differentia humiliorem fabulam, qualis est Comœdiæ, à grauiore ceterorum penè generum imitatione*

tione discernit. Quod verò ad modum fingẽdi pertinet, vel poëtæ solam personam sustinet, sicut Lyrica poësis, & Dithyrambica sæpè; vel absque poëtæ persona aliorum inducit, quemadmodum Tragœdia, & Comœdia; vel cùm poëtæ aliorum personas admittit, non secus atque Epopœia semper, & interdum illæ quæ cum carmine vsurpãt rhythmum, & harmoniam. Quibus rebus quidam adducti poësim in tria genera secuerunt, videlicet ἐξηγηματικὸν, *quod narratiuum dicunt;* δραματικὸν, *quod actiuum vocant ab agentibus personis, & à colloquentibus* διαλογητικὸν· μικτὸν, *quod ex vtroque est mixtum. Quæ quidem ego potius cum Aristotele fingendi modos, quàm poëticæ formas esse crediderim. Formæ enim plurimum inter se differunt, neque alia in aliarum possessionẽ venire, aut transferri potest. quòd si poëticæ formas & Tragœdiam, &* δραματικὴν *facimus, ac rursum Tragœdiam* δραματικὴν *esse dicimus, quis non videt formas inter se perturbatum iri? at differentiarum modi permisceri, & conuenire inter se possunt.*

De Epopœia. CAP. II.

NVNC *Epopœiæ naturam explicabimus, quæ ceteris & grauitate rerum, & sublimitate carminis antecellit. Cuius vox Græca ab* ἔπος *&* ποιεῖν *deriuata, quorum illud vel verbum, vel carmen, hoc facere, seu fingere significat, omnem vel soluta oratione, vel carminibus expressam fictionem significat. qua communi nominis deductione compo-*

sitores

ſitores dialogorum, & poëtæ quilibet Epici vocari poſſunt. Ac quemadmodum ἔπος licet omnem locutionem ſignet, præcipuè tamen notat à dignitate dictionem poëtæ, quod eſt carmen; ſic etiam ſæpe carmen hexametrum ob ſtabilitatis, grauitatis; & magnitudinis excellentiam commune nomen proprium facit: ipſi etiam conditores hexametri carminis, qui poëtarum nomen ſibi vindicarunt, ob præſtantiam epici nuncupantur. Vocantur quoque alia ratione Heroici, quòd heroum actiones imitentur: vnde etiam carmen hexametrum à maieſtate & amplitudine heroicum dicitur. Nec quicumque hexametra componet, heroici nomine dignus exiſtimabitur, ſi non graui oratione deſcribat illuſtrium virorum actiones; ni ab orationis ornatu potius heroicum dictum velimus: vt Euſtathius ἐποποιοὺς *inquit* ὀνομάσαι τοὺς ἐν τῷ ἑξαμέτρῳ τόνῳ ἡρωΐζοντας. *Hoc genus poëticæ Suidas perſcribit his verbis:* ἤδ' ἡρωϊκȣ̃ μέτρȣ ἱστορία, καὶ γὰρ στερȣμένη μύθου ποίησις ἐποποιΐα ἐστίν. *Sed qualis erit hæc poëſis, à qua fabulam, tamquam animam à corpore, diſiungunt? aut quæ hiſtoria carminibus ſcripta promerebitur vmquam nomen poëmatis? Alij definiunt* θειῶντε, καὶ ἡρωϊκῶν, καὶ ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἐμπεριοχήν. *Sed neque Deorum propriè, neque omnium hominum actiones hæc poëſis amplectitur. Nos verò illam his verbis circumſcribimus: Poëſis, quæ ſolo carmine hexametro vtens illuſtres actiones imitatur narrando, epopœia eſt. Nam poëſis non eſt, quæ nullam actionem imitatur; illuſtres verò actiones illam diſtinguunt à Comœdia, &*

 narratio

narratio eam quoque ſecernit à Tragœdia, in qua, vt in Comœdia, res aguntur, nō narrantur; hoc autem, quod ſolo carmine, & illo quidem hexametro vtatur, à reliquis generibus ſeparatur. nam illa etiam rhythmum & harmoniam adhibent aut promiſcuè, aut ſigillatim. Et hexametrum quidem carmen dramaticis fabulis minus idoneum viſum eſt; ſed iambus, qui ſponte in omnem ſermonem incurrit, habitus eſt aptior. Porrò in epopœia perſonæ inducuntur graues, quales heroës, reges, duces; res finguntur excellentes, quales præſertim ſunt bellicæ; ſententiæ excogitantur illuſtres, verba deliguntur grandia & ornata, verborúmque compoſitio apta & numeroſa exquiritur. Atque Horatius illis verſibus,

Res geſtę regúmque ducúmq. & triſtia bella
Quo ſcribi poſſent numero, mōſtrauit Homerus.

& materiam, & carmen epopœiæ docet Homeri exemplo; qui heroicum carmen, ſicut Orpheus lyricum (vt Plutarchus ſcribit) fertur primus inueniſſe; ſolúſque eſt ante Virgilium, qui hoc carmine dignè, qui legeretur, heroum facta depinxit.

Quæ in epopœia nonnulli requirant.

CAP. III.

TVM in epopœia quærunt docti quidam viri quatuor iſta, veterem memoriam rei ſiue hiſtoriam, imitationis allegoriam, hexametrum carmen, & dictionem rebus accommodatam. Sic Virgilius

gilius aduentum Aeneæ in Italiam à rerum scriptoribus est mutuatus. Quod opinor factum à poëtis, vt ex commemoratione antiquitatis fabula plus fidei haberet. Et vero simile est regum magna quædam facinora peruulgata esse, non obscura, eadémque ratione tragœdiarum argumenta nota sunt & illustria: contrà Comœdiarum, quia humiles & ignobiles actiones imitantur, ignota. Quoniam igitur argumenta sumunt ab historiis, quamuis multa suo iure fingant, aliúmque ordinem contexant, nullo tamen pacto à publica memoria dissentire debent, ne veritati contraire videantur. Nec Virgilius reprehensione caruit, quòd Didonem honestam & castam mulierem impuram & impudicam fecerit, & amore captam Aeneæ, quæ longè ante Aeneam vixerat. Sed eum quidam defendere conātur, quòd in Episodiis & id quidem finxerit, quod lōgis temporum interuallis obscuratum, ac penè obrutū nullius memoria refelli potuisset. Quòd si varia fortasse ab historicis scribantur, poterit tum cuius voluerit authoritatē liberè sequi. Neq; idcirco non erit actionum imitator poëta, sed rerum pronuntiator. Nam ita rem adumbrat, & alia quadā facie cōformat demendo, addēdo, transferēdo, vt nouo & ficto actionum ordine atq; contextu historiæ figuram in poëmatis imaginem speciemq́; conuertat. Mox allegoria res inuertit, & à definita ad communem rationem trāsfert. Etenim poëta licet ab historico res certas & singulares accipiat; tamen (vt loquar eorum more qui logici appellantur) ab indiuiduis ad formas & genera sese traducit, explicátque

 in de-

in definitis personis vniuersam rerum imaginem: sicut Virgilius (ne ab hoc summo apud Latinos poëta discedamus) non vt singularis cuiusdam ducis res ab Aenea gestas exponit, sed exemplo Aeneæ pij regis atque magnanimi simulacrum effingit. Et quoniam poëtæ studium in eo præcipuè positum est, vt rebus fictis rectam viuendi rationem doceat, quàm pulchrè idem Virgilius toto opere ἀλληγορικῶς virtutis viam describit! cuius radices (vt quidam loquitur) amaræ sunt, fructus verò suaues.

Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium; sedes vbi fata quietas
Ostendunt.

Quam rem illis versibus iam omnibus penè notis Hesiodus etiam docuit:

τῆς δ᾽ ἀρετῆς.

& Aeneas post infinita propè terra maríque discrimina superata Italiæ regno potitus conquieuit. Carmē verò hexametrum, quod Pythium ab Apolline inuentore dixerunt, & ab orationis ornamentis heroicum, propter stabilitatem & amplitudinem, quia latiore seu tardiore mensura motúque incederet, sonarétque quid grãdius, quod ipso sensu percipitur, Epopœiæ, quæ est mera narratio, aptißimum iudicatũ est. Hoc Orpheus, Linus, Homerus in hymnis quoque vsi sunt; hoc etiam ad amores, sed tragicos Musæus; hoc præterea Hesiodus, Nicander, Aratus, Oppianus narrationes & præceptiones suas plenē & eleganter explicarunt. Demum heroicam maiestatem decet sublimis dictio, quæ verborum grauitate rerum amplitudinem exæquet.

De na-

De natura seu forma Epopœiæ.
CAP. IIII.

AT Epopœiæ naturam optimè cerni posse existimo ex Fabula, Moribus, Sententia, & Dictione. Fabulam antea diximus actionum esse dispositionem quandam & conformationem; atque vnam siue simplicem, non multiformem esse debere. Nec porro aliter sentit Aristoteles, quamuis scribat in Epopœia plures actiones inesse; ex qua nimirum aliquot argumenta fabularum dramaticarum decerpi poßint; sicut Didonis apud Virgilium interitus idonea satis est materia tragici. Nam etsi plures actiones epopœia complectitur, nihilominus ex omnibus vnam fabulam tamquam corpus vnum è multis membris componit. Enimuerò epopœia, cui aut nullum temporis spatium, aut satis longum ad imitandum definitur, pluribus episodiis amplificanda est, ne si nullis digreßionibus dilatetur, sterilis & inornata sit omnis leporis & venustatis expers; quam episodiorum varietas maximè affert. Ideò grauioribus personis tenuiores admiscet, milites, nautas, fabros, aurigas (siquidem humana societas est quasi quoddam corpus è multarum partium officiis studiísque compositum) adhibétque Deorum concilia, quorum prouidentia res humanæ gubernantur; & res attingens vniuersas, quæq; in terris fiunt, quæq; in cælis esse intelliguntur, tum multa rerum copia locupletatur, tum amœna varietate distinguitur. Itaque πάντων πραγμάτων ἐμπεριοχὴν nō absurdè dixeris epopœiam esse. Quamobrem

obrem epicus poëta (quod antea præcepimus) vnam primò fabulam ingeniose conformabit, cámque variis episodiis & digreßionibus intextis delectationis gratia & ornatus, quoad eius fieri poterit, augebit, ornabitque rerum mirabilium fictionibus; quæ à verisimilitudine commendentur, & loco appositæ suauem pariant admirationem. Equidem si in vlla (quod antè dictum est) in hac maximè poësi, in qua narrantur res, non aguntur, datur liberior mirabilia fingendi facultas. Ad hæc fabula epopœiæ vel connexa, velut Odyssea, in qua Vlysses agnoscitur, agnitúsque extemplo rerũ domesticarum statum in meliorem ex deteriore conditione reducit; vel sine agnitione, aut peripetia simplex erit, cuiusmodi est Ilias, & Aeneis: in quibus si aliquorum est vel agnitio, vel fortunæ commutatio, ad episodiorum rationem illa pertinet; ipsa tamen fabula neque agnitione, neque peripetia ad exitum perducitur. Erit præterea vel morata, quæ magis in describẽdis moribus laboret; vel pathetica, quæ cæde & vulneribus vehemẽtiùs animos permoueat. Ac πάθος licet fabulæ connexæ magis conuenire videatur; tamen in alterius fabulæ genus non intempestiuè aliquando etiam accersitur. At mores vniuscuiusque personæ probitatem ipse præ se ferens vbique poëta sic exprimet, vt cuiusque vitæ consuetudinem ante oculos ponat aut virtute laudabilem, aut vituperabilem vitio, semper decoro personarum, locorum, & temporũ sapienter seruato, & modo in benefactis cõmendandis, & in reprehendendis malefactis adhibito. Vnde multa legisse, multa audiuisse, multa vidisse, multa tra-

ctasse,

ctasse, multa obseruasse, multa animo & cogitatione percurrisse necesse est eum qui omnium mores vitásque describit. Quòd si quid fabulæ constitutio secum interim afferat turpitudinis, vel leuiter illud tanget, vel dissimulabit acutè, vel sapienter obscurabit: neque, dum vitia reprehendit, obscenis vocibus vtatur, quæ memoria voluptatum animum turpiter afficiant. Quid enim turpius? quid indignius est homine graui impudica oratione? Ac parum certè sapuit, qui Virgilium tamquam nimis castum notauit. Profectò qualis est cuiusque animi affectus, talis etiam est eius oratio. Nec quæ de moribus altero libro præcepta sunt, repetenda hîc arbitror. Et sententia (vt suprà dictum est) cuiusque mentem & sensum exprimere debet: eámque personis pro sexu, ætate, conditione, studiis conuenire iubet lex decori. Neque solùm cum actionibus, verùm etiam cum verbis mores, & sententias congruere oportet. Dictio grauis & ornata (quod sæpe diximus) & verborum collocatione numerosa desideratur, quæ rem ipsam suo quasi sono exprimat. Nec, si res humiliores inciderint, orationis formam variabit; sed eandem styli legem tenebit, quam sibi primùm imposuit. quamquam leuium personarũ ea scribet opera & officia, quæ fuerint in illis grauiora; atque ea quoad res patietur, dicendo attollet: sic contrà in infimo genere dicendi res magnæ oratione ipsa deprimentur. Et quando copiosius de elocutione suprà disseruimus, satis erit hoc loco monere, ne epicus alio versuum genere, quàm hexametro, vtatur; quod narrationi aptissimum esse demonstrauimus.

De par-

De partibus Epopœiæ.

CAP. V.

PARTES *epopœiæ post eius naturæ explicationem docendæ sunt, quæ ab huius artis scriptoribus tres numero traduntur, Propositio, Inuocatio, Narratio. Sed poëtarum aliqui consueuerunt proœmio, tamquam citharœdi* προαυλίῳ, *uti; quod à iusto & legitimo carmine separatur. huiusmodi est illud Virgilij ab aliis deinde sublatum,*

Ille ego qui quondam.

Vbi videtur Arabum, Chaldæorum, ac Prophetarum morem imitari, qui statim in operum principiis sua nomina adscribunt. Quod liceátne fieri dubitationem fortè aliquam habet: sed quoniam id neque ordinem poëmatis inuertit, neque pars vlla est operis, sequetur quisque quod volet. Propositio breuis est fabulæ ostensio: in qua id præstat poëta quod orator in exordio, nimirum docilitatem, quæ dicendorum finem ostendit. Quamobrem cùm vna & simplex fabula sit, quónam modo propositio, quæ illius exitum finémque demonstrat, res plures atque dissimiles complexu suo recipiet? Nec equidem Virgilij Georgica, quorum propositione res diuersæ continentur, poësim esse dixerim, cùm fabula careant, neque ad vllum genus poëticæ referantur: neque illum in Aeneide reprehendi iure posse existimauerim, quòd multa & diuersa proponere videatur. Nam etsi arma, virúmque cantaturum se dicit, non tamen varias actiones complectitur; quarum non sit idem exitus. Non enim arma à viro seiunxeris:

iunxeris: neque ille omnia viri facta pronuntiat, sed quæ ab euerso Ilio passus est, donec in Italiam promissam sibi sedem peruenit; vbi aduersantem sibi Turnum magna virtute sustulit. Quæ omnia ad vnũ eundémq. finem conferri vides. Quid est enim in illo, quod ab hoc fine vagetur & erret? Quid? si (vereor ne cuipiam aut impudentior videar, aut curiosior) propositionem cum inuocatione Homeri modo coniunxisset hoc pacto,

Dic mihi Musa virum Troiæ qui primus ab oris,

num vnitatem fabulæ (ne quid de moderatione verborum loquar) melius & apertius indicasset? Atque vt simplex, ita etiam breuis debet esse propositio, quæ rerum fastigium absque multitudine verborum attingat. Non enim auditor in propositione detinendus est verbis: qui vbi rerum exitum, & scopum didicit, ad narrationem festinat. neque tamen ea verba decidenda sunt, quæ si subtrahantur, rem obscuratura sint. Ad hæc pöeta longius proponere non debet, quàm res ipsa postulat. Tunc autem longior propositio videtur, cùm ea proponit quæ post exitum fabulæ euenisse creduntur. Ideóque illa apud Virgilium,

——genus vnde Latinum,
Albaniq́ue patres, atque altæ mœnia Romę,

extra descriptionem fabulæ sunt, in Augusti populíque Romani gratiam dicta. Nam res Albanorum & Romanorum non sunt coniunctæ cum fabula. Neque velim putes Virgilium ad Augusti vsque tempora opus suum perducere voluisse: siquidem (vt omit-

(vt omittam quòd illarum rerum fabulam nullam videmus) in incredibilem magnitudinem opus excreuisset, si illud Episodiis, & digreßionibus (vt par erat) amplificasset, & ornasset; aut, si breuiter omnia sine vllo ornatu perstrinxisset, quàm aridæ, quàm insulsæ, quàm dißimiles à prioribus reliquæ poëmatis partes extitissent? Præcipiunt quidam hoc loco, ne proprium nomen in propositione ponamus, sed illud circumlocutione explicemus, quo res magis exponatur. quo modo non Vlyssem dixit Homerus, sed (vt vtar Latini poëtæ verbis)

—virum, captæ post tempora Troiæ
Qui mores hominum multorum vidit, & vrbes.

Quæ circumlocutio si obscura fuerit, eo loco maximam obscuritatem afferet, vbi maximè docilitate & perspicuitate opus est. Atque etiam illud addunt, vt, si circumlocutione vti nolimus, pro proprio nomine patronymicum locemus. Verùm etiam cum proprio nomine coniunctum patronymicum legitur apud Homerum in Iliade. Potius illud præcipiendum erat, quod etiam Rhetores in exordiis præcipiunt, nihil magnè sonandum in propositione, non elata verba, non promissa grandia, sine affectata diligentia, sine vlla ingenij aut doctrinæ venditatione, vt grauiter & ornatè semper insurgat oratio. Quod Horatius scitè monuit,

Nec sic incipies, vt scriptor cyclicus olim,
Fortunam Priami cãtabo, & nobile bellum.
Quid dignũ tãto feret hic promissor hiatu?
Parturient montes, nascetur ridiculus mus.

& Ho-

& Homerum adeò commendauit, qui grauis sine fastidio & arrogantia,

Non fumum ex fulgore, sed ex fumo dare lucem

Cogitat, vt speciosa dehinc miracula promat.

Nec certè nō semper propositione vtetur poëta. nam licet orator eum qui audit, non curet docilem interdum facere, cùm res aut nota est, aut parua; tamen, qui magna dicturus est, atque incognita, semper proponet. Rem propositam sequitur inuocatio, quæ diuini numinis est imploratio: quoniam dicturum res magnas, nec antè auditas decet vel à Musis, quarum vi poësis excitatur, vel à Diis, præsertim iis qui præesse dicuntur his rebus quæ proponuntur, auxilium petere. Sic Lucretius cùm de natura scribere instituisset, Veneris numē implorauit procreationis authorem. Id quod parat beneuolentiam poëtæ, vt qui Deorum inuocatione fastidium à se depellat; & attentionem gignit magnitudine rerum, vt quæ sine aliquo cælesti afflatu explicari non possint. Quidam virorum illustrium potestatem, quasi Deorum numen ambitiosè nimis obtestati sunt; sed tunc maximè temporis, cùm Imperatores orbis tamquam superi omnium rerum domini & moderatores colebantur. At verò Græci inuocationem cum propositione coniunxerunt, Latini separarunt; quamquam Latinorum aliqui Græcos imitari maluerunt. Non dicam quod Protagoras Homerum reprehēdit, quòd in propositione Musam inuocasset; quoniam prius proponenda sunt ea quorum gra-

rum gratia Musarum auxilium exposcendum est. Est enim leuis reprehensio. At Lucanus, quamuis inter historicos potius, quàm inter poëtas annumeretur, non statim propositioni inuocationem subiunxit, sed prius in bellorum plusquam ciuilium acclamationem & execrationem aliquanto digressus est. Quam conquestionem miror à quibusdam vocari narrationem. Præterea vsus inuocationis non solùm in principio, sed in aliis quoque locis est. Enimuerò quod oratori datur in ipso cursu orationis, cùm locus postularit, renouare beneuolentiam, & attentionem, idem etiam licet poëtæ vel ob aliquam rei nouitatem exortam, vel ob instantem aliquam rei grauitatem, & magnitudinem Deorum, seu Musarum opera iterum poscere. Non aliter Virgilius descripturus in sexto libro numquam visa & inaudita, neque vlli viuentium nota loca rogat eorum Deorum facultatem & numen, quibus imperium est animarum; & maius opus mouens in septimo Musam orat:

Tu vatem, tu diua mone, dicã horrida bella.

Post Deorum, seu Musarum inuocationem res proposita explicanda est: antequam narrationem sæpe causæ quædam vel à prima origine repetuntur, quæ viam ad ipsam narrationem muniant, eámque reddant illustriorem: vt, ante legitimam narrationem Virgilius causas odij Iunonis contra Troianos à capite renocauit,

Vrbs antiqua fuit, Tyrij tenuere coloni.

At fortasse cuipiam non videtur epopœia sola narratione consistere; propterea quòd aliæ personæ lo-

quentes,

quentes, & quasi agentes inducantur. Sed is certè non intelligit aliorum sermones, & actiones narratione poëtæ contineri, eiúsque nomine omnia explicari. Atque is poëta magis commendatur, qui quàm minimum loquitur ex sua persona, semper autem alios imitatur; nã eius laus præcipuè in imitatione posita est· non autem, vbi ex sua persona loquitur, imitatur. Quod Homerus & Virgilius poëtarũ principes summa arte præstiterũt. Quamobrem epopœiam ipse, dum acrius vim eius & naturam contemplor, quoniam poëtæ solam personam sustinet, non mixti generis, quod ferè omnes aiunt, sed ἐξηγηματικὴν esse puto.

Vnde principium narrationis in epopœia ducatur. CAP. VI.

SED *vnde narrationis suæ principium epici ducant, non erit opinor inutile inuestigare; quandoquidem inter se plerique disputant, an à primis rebus, an à mediis, siue vltimis initium faciant. Ac nonnulli à mediis rebus, seu postremis exordium narrationis illos sumere existimant, ne historicorum similes esse videãtur, qui narrationem à summis rerum initiis causisq́ deducunt, solùm ordinem rerum, temporúmque seruãtes; cùm poëtæ non rerum gestarum habeãt, sed narrantis personæ rationem, siue suam interponant, siue fingant alienam. Referúntque Horatianum illud præceptum,*

Ordinis hæc virtus erit, & Venus, aut ego fallor,

Vt iam nunc dicat (*media, vel vltima*) iam
nunc debentia dici

Pleraque (*nimirum prima*) differat, & præ-
ſens in tempus omittat.

(*vel in præſentia, & in ipſo narrationis principio, vel in aliud tempus, quod videbitur fore commodius.*) *Rem quoque exemplis probant Virgilij, qui ab Aeneæ nauigatione è Sicilia in Italiam, & Homeri, qui ex eo tempore quo Vlyſſes à Calypſo detinebatur, exorſus eſt. At quæro vnde principium ducat in Iliade? à decimo inquient anno belli Troiani. Num igitur bellum Troianum decantare propoſuit, an iram Achillis? Et quidem ipſiuſmet verba iram Achillis habent, non bellum Troianum. Alioquin ſi bellum Troianum propoſuiſſet, Ariſtotelis ſententia poëſim tum feciſſet nimio longiorem, tum multa, & penè infinita rerum varietate perturbaſſet. Num igitur abſurdè Horatius de Homero inquit,*

Nec gemino bellũ Troianũ orditur ab ouo?

Si quidem Achillis ira cum belli cauſis coniuncta eſt, cur non alius minus intelligens, & poëticarum rerum imperitus à belli principio, vel ab his quæ belli cauſis præceſſerũt, narrationem exorſus fuiſſet? At Homerus ab iræ, quas propoſuit, cauſis exordium cœpit: reliqua, quæ ad bellum pertinebant, & perfecta iã erant, pulchrè & artificioſe interſeruit. Nõ igitur Horatius inſcitè inquit de Homero,

Nec gemino bellũ Troianũ orditur ab ouo.

Verùm, vt clarius fiat id quo de quæritur, in primis ſtatuendum eſt, quid ſit epopœiæ narratio. Eſt autem non

tem non rerum gestarum expositio, quæ historicorum est propria, sed fictæ cuiusdam actionis explicatio. Non enim poëta narrat ea quæ gesta sunt, sed quæ geri debuerunt, vel potuerunt; ita vt rerum perinde ac gestarum illius narratio sit. Cuius illud est profectò principium, quod est præsentis fabulæ initium. Etenim ea quæ Epici imitantur, certo aliquo temporis interuallo, vnius videlicet anni, vel ad summum duorum aliqui circumscribunt, non secus ac tragœdiæ & comœdiæ fabulam vnius diei, vel duorum ad summum, curriculo definiũt; quam rem in Homeri, & Virgilij poëmatis animaduertunt. Quamobrem si ea quæ Epici imitantur, hoc temporis spatio concludi possunt, cur non à primis, vt Homerus ab iræ causis, exordietur? Quòd si plurium annorum ambitu continentur, tum vel ab vltimis, vel à mediis incipiet; prima verò, & media opportunè intexet: quemadmodum tragici & comici non ea omnia imitantur per agentes personas, quæ argumento commemorant, sed inde agere personas inducunt, vnde res ad certam temporis legem venire potest: quæ verò antecedunt, ea explicant in prologo. Dico autem prologum primam fabulæ partem, in qua res præteritæ ab actore aliquo edicuntur. quod in actu primò maximè fit, vt spectator ex præteritarum rerum cõmemoratione intelligat, quæ aguntur. Profectò si ea omnia quæ argumento exponuntur, per agentes personas effingerẽtur, non tragœdia & comœdia vnius diei, nec vnius anni, sed plurium esset epopœia. Licètque Aristoteles putet epopœiam non vt tragœdiam aliquo temporis spatio

coarctari; tamen subest ratio; vt dum epici longiorem actionem habent, non altius principium ducāt: ne si rem à primis initiis repetant, opus omni ornatu, & amplificatione denudent; sin amplificationibus exornent, ad ingentem magnitudinem augeant. Tunc igitur principium non sument ab his quæ possunt in episodiorum locum venire, sed ab his siue media, siue vltima fuerint, quæ præstantiora videbuntur in fabula, & ad reliquā imitationem commodiora: velut è Sicilia in Italiam nauigatio Virgilianæ fabulæ principium fecit, quando nihil æquè proprium fabulæ esset, nihilque in ea præstantius, quàm ad Italiam accessio. In qua nauigatione subità exorta tempestas ad rerum præteritarum episodia viam dedit. Siquidem Aeneas vi tempestatis in Africam iactatus roganti Didoni, cui ob tanta beneficia negare turpe & nefas fuisset, excidium Troiæ, & post excidium labores & pericula, quæ in illum vsque diem perpessus fuerat, enarrauit. Item Homerus quo tempore Telemachus induci, & procorum iniuria propulsari, & vindicari debebat, Vlyssem è sedibus Calypsus discedentem facit, atque ad insulam Alcinoi procellis eiectum. A quo benignè hospitio exceptus, agnitúsque labores toleratos Phæacibus recenset, indéque ad patriam breui nauigatione deportatur. Sanè præteritarum actionum commemoratio mihi quidem (vt alibi dicebamus) in principiis opportunior videtur, vt legentium animi rem totam in initio addiscant, & præterita cognoscant, & præsentia videant, & futura expectent. Licétque in describendis rebus poëta vt plurimum

suam

ſuam perſonam adhibeat, tamen in rebus geſtis exponendis ſæpe inducit alienam: ſed antè quædam præfari ſolet, quæ ad huiuſmodi narrationes aditum aperiant. Nec interea me fugit Dionis Chryſoſtomi ſententia, qui Homerum reprehendit, quòd non à primis opus inchoauerit: & noſtris quoque temporibus admiror quoſdam dubitare an hoc ab Homero rectè factũ ſit, cùm iſtud Homeri artificium vir magni iudicij Horatius adeò extollat;

Semper (*inquiens*) ad euentum feſtinat (*dum vltima dicere videtur*) & in medias res,

Non ſecus ac notas auditorem rapit,

(*illuſtribus & ornatis epiſodiis.*) *Quòd ſi qui nobis obiiciant Ouidij exemplum, qui librum quem μεταμόρφωσιν inſcripſit, à mundi origine incepit, rerum ac temporum ordinem hiſtoricorum more ſecutus, ſciant eo in opere Ouidium inter epicos non haberi; ſed mea ſententia debere inter hiſtoricos fabuloſos annumerari. Quòd ſi etiam velint cùm alicuius vita numeroſa oratione ſcribitur, à natalibus ordiendum eſſe, nõ me his certè nimium oppoſuerim, dum intelligant hiſtoricos ſe magis fore, quàm poëtas, quos imitatio facit, non carmen.*

Quæ præcepta in narrando maximè ſeruanda ſint. CAP. VII.

VT igitur ad epopœiæ narrationem reuertamur, poëta non vndelibet incõſultò & temere, & gemino (vt dicam) ab ouo, ſed ab aliqua re illuſtri, & ad fabulam accommodata initiũ faciet,

eiúſque extremum aliquo nobili exitu terminabit; & ne ſatietate & faſtidio ſimilitudinis aliorum animos à ſe alienet, tum epiſodiorum varietate, tum rerum nouitate narrationem diſtinguet. Hæc profectò magna virtus eſt narrationis, auditoris animum ſuſpenſum tenere, & quaſi captiuum ad finem vſque perducere. Non dicet expectata, non rerum exitus opinatos, & dicenda quaſi digito demonſtrans, interim morabitur auditorem, ornando præſentia; nec quæcumque occurret imprudenter apprehendet, ſed hoc amabit (vt poëtæ verbis vtar) hos ſpernet promiſſi carminis author. Neque enim ex rerum copia rudi & indigeſta, ſed ex elegantibus, & electiſſimis opibus laudabilis poëtarum quaſi officina inſtituitur. Et quæ ille per ſe non poterit, per fictam aliquam perſonam referet. Quantus ergo erit in apparatu rerum futurarum, vt ad illarum cognitionem deſiderium excitet in animis audientium? quoties apud Virgilium nauigatio! quoties labores, & pericula! quoties bella horrida prædicuntur! ſic vbique rerum futurarum ſemina aſpergit; & in præſentibus auditorem non ingratè remoratur. Sed quantus etiam in rerum præſentium ornatu? vt auditor & in iſtis lubenter commoretur, & ad illa feſtinet? quantus denique in omnium rerum varietate? nam & res diſſimiles ſollerter excogitãdæ, & prudenter admirabiles fingendæ, & eadem ſæpè res illuſtranda eſt multiplicibus ornamẽtis. Fugienda ſemper eſt κακοζηλία, ne aut verbis, aut ſententiis malè affectatis tumeat & turgeſcat oratio; quæ etiam vitioſa erit, ſi langueſcet, nec ſui veſti-

gium vllum in audientis animo relinquet. Neque si Rhetores tradiderunt narrationem breuem esse oportere, idcirco epopœta breuitati studebit: Oratoris enim narratio, quæ tota generis est iudicialis, quæque hoc solùm spectat, vt iudex causam doceatur, rem breuiter debet exponere: epici verò narratio, quam nulla sequitur confirmatio, quæque ad auditoris voluptatem quæsita est, amplificationem & ornatum exquirit. quamquam breuitas in epopœia quandoque laudatur, vbi quid est breuiter & concise dicendum. ni tamen eam breuitatem intelligas quæ neque rem ab vltimo repetit, neque longius, quàm opus sit, excurrit: quam sequi omnino debet. Postremò (ne probabilitatem, perspicuitatem, suauitatem, dignitatem, magnificentiam, aliásque narrationis virtutes sigillatim memorem, quarum præceptionibus omnium Rhetorum volumina referta sunt) erunt omnia verborum & sententiarum electione, venustate, nitore polienda & ornanda. Ne verò sententiosis partibus verborum splendor officiat, & vt minus sententiosæ dictionis ornatu illustrentur, alio loco præceptum est.

De Tragœdia. Cap. VIII.

D*E Tragœdia verò, quæ maiorem præ ceteris habet cum epopœia cognationem, vt locus postulat, dicturi, primùm eius originem inuestigabimus, tum incrementa videbimus, quo demum tempore perfecta fuerit, agnoscemus. Ad hæc eius definitionem euoluemus, simul etiam nominis significationem*

cationem explicabimus, nec non illius naturam, & formam ostendemus, componendarum quoque partium rationem docebimus, ac quo demum pacto differat ab epopœia demonstrabimus. Sed δραμάτων, quæ modò fabulas, modò actus appellant, initium, ac quasi fontem aperiemus; è quo Tragœdia, Comœdia, Satyra, mimus emanarunt. Quæ dramaticæ fabulæ omnes vno eodémque nomine κωμικαὶ nuncupatæ sunt, quoniam è vicis ac pagis prodiere, quos Græci κωμὰς vocant. Atque etiam omnes principium è re sacra habuerunt. Et vt speciatim de Tragœdia loquamur, cùm veteres & prisci illi agricolæ pro annuo fructu Libero patri sacra facerent, incensis altaribus primùm aliquid loco precum cantitabant, & quo præsentem magis Deum haberent, eius res gestas, victorias, triumphos, subactos reges, regúmque calamitates concinebāt. Sed deficiente singulis annis materia calamitatum eorum qui à Libero deuicti fuerant, in aliorum regum & imperatorum miserias itum est. In quibus cantilenis vel quia victori propositus erat hircus, qui Baccho sacrificari consueuerat, quasi τράγου ᾠδὴ Tragœdia appellata est; quamobrem Horatius,

Carmine qui tragico vilē certauit ob hircū;

vel quoniam hirci vter musto plenus dabatur; vel quoniam vindemiarū tempore Bacchi sacra fiebāt, παρὰ τὸν τρυγητὸν, Latinè vindemiam, quasi τρυγῳδίαν dixerunt; vel quia festo die Bacchi vinum cantoribus distribuebatur; vel quia scenici homines ante personarum vsum ab Aeschylo inuentum ora fecibus illinebant; vnde Horatius,

Ignotum

Ignotum tragicæ genus inuexisse Camenæ
Dicitur,& plaustris vexisse poëmata Thespis;
Quæ canerent , agerentque peruncti fecibus ora.

Disputent Grammatici num vini feces essent, an olei, quæ amurca dicitur. Verùm si tragœdiæ nomen fuit etiam prius quàm Thespis vsum fecis inuenit, non potuit à fecibus tragœdiæ nomen deduci. Quid si ab asperis cantibus dictam putemus? Illud silentio non prætermittam, quod Diodorus scribit, omnem artem scenicam, præsertímque Tragœdiam, in Liberum patrem, quem eundem appellant διόνυσον, *referri. quòd propter histriones* διονύσου τεχνῖται *vocati sunt: & Demosthenes* ἐν διονύσῳ *pro in theatro dixit, vt Vlpianus existimat. Hic igitur est ortus tragœdiæ: quem antiquissimum esse constat ex historia. Nam tragicos poëtas ad Thesei sepulcrum certasse memoriæ proditum est. Quocirca quidam arbitrati sunt eam omnium fabularum vetustissimam esse, eíque comœdiam successisse, sicuti scribit Horatius. At verò prior fuit agrestis vita, quàm ciuilis; atque hæc prior regia: & priùs ad hilaritatem, quàm mæstitiam fabulas inuentas, & actas fuisse existimo: neque Aristoteles Tragœdiam ante Comœdiam inuentam esse dixit, sed excultam. Nam Comœdia diu neglecta latuit, & illi serò à magistratu chorus datus est. Inuentam autem in Peloponneso Tragœdiam scribit Aristoteles: & ipsi Peloponnesij Epigene Sicyonio primo rerum tragicarum scriptore gloriantur. Sunt qui Thespin, sunt qui Phrynichum auctorem tradant; sed Plato &*

ante

ante Thespin, & ante Phrynicum inuentam affirmat. Alij non inuentam, sed excultam à Thespi, qui ab Epigene secundus, vel, vt alij volunt, decimus sextus ora fecibus illiniuit, & pensiles scenas per agros circumuexit. Neque eandem formam Tragœdia semper habuit. Nam à solo choro primùm agebatur, sicuti refert Laërtius; pòst addita est vna persona; tum alteram, quæ inter se colloquerentur, Aeschylus adiecit, & μονοπρόσωπον tragœdiam in diuerbia diduxit, declarauitque πρωταγωνιστὴν eum esse, qui primarum partium esset, in quibus vniuersum negotium verteretur, quíue plura pronuntiaret: atque is alta voce vtebatur. δευτεραγωνιστὴν verò secundarum partiū, cuius vox erat submißior. Idem Aeschylus (vt ex Aristotelis scriptis, & Philostrati imaginibus liquet) chori numerum imminuit, prologum adiunxit, cædes à scena & spectaculis amouit, satísque habuit per nuntios referri, vt aliquid de asperitate remitteret. Idem etiam fertur primùm omnium σκηνογραφίαν excogitasse. cui tantus honor post mortem habitus est ab Atheniensibus rerum tragicarum studiosißimis, vt plebiscito cauerint, ne ex tragicis, qui iam obierant, vllius nisi Aeschyli fabulæ recitarentur: quæ ab eius filio Euphorione castigatæ prodibant. Illum Sophocles secutus est, qui & scenam ornauit, & tres personas (vt vult Aristoteles) inter se colloquentes induxit (quamquam tres etiam sæpe apud Aeschylum apparent, & interim apud omnes quatuor) præterea Satyros, qui excitandi risus gratia immittebantur, exclusit, & in iustam magnitudinem

Tragœdiam auxit. Ita demum per varios gradus ad summum perducta est. Iam Theophrastus illam finit ἡρωικῆς τύχης περίστασιν, & Latinorum aliqui heroicæ fortunæ in malis comprehensionem. nos eius naturam ex Aristotelis definitione putamus longè melius posse explicari. Nam primùm Imitatio est; nam alioquin non esset poësis Actionis illustris, qua à Comœdia disiungitur, quæ in ciuilibus actionibus versatur, & ex ridiculis voluptatem quærit. Iustæ magnitudinis; quæ videlicet ex certa partium compositione perfecta est. Primò enim rudis & incondita partium rationem ignorabat; deinde variis interuallis incremēta & absolutionem accepit. Hanc magnitudinem aliqui mediocritatem esse autumāt, ne breuior sit quàm otioso populo satis faciat, aut prolixior quàm æquo animo spectari possit, ne illud Plautinum dicatur,

Lumbi sedendo, oculi spectando dolent.

Iidémque aiunt, quo ab epopœia separaretur, positam esse in eius definitione magnitudinē, quoniam epopœia quandoque longior est: Verùm epopœiæ proprium est, in quantam potest amplitudinem accrescere: & tam epopœiæ, quàm tragœdiæ sua cuique legitima; & conueniens est pro partium rata portione definita magnitudo. Præter hæc Aristoteles tragœdiæ carmen attribuit, cantum, & rhythmum, quibus separatim vtitur suis in locis, nō promiscuè, vt lyrica poësis, & dithyrambica: neque narratione constat, vt epopœia, sed cuncta per agentes personas administrat. Eius verò finis est misericordiam, vel terrorem excitando ab ira, cupiditate, & similibus

animi permotionibus, quæ res atroces & scelestas producunt, spectatorum animos expurgare. Nam licet primùm omnes clarorum hominum actiones imitaretur; tandem tamen eam actionem propriè tragicam habuerunt, quæ misericordiam, vel terrorem commoueret. Quapropter Euripides, quem Aristoteles hac in re præ ceteris commendat, rogatus ab Archelao Macedoniæ rege, vt de se tragœdiam scriberet, abnuisse dicitur, deósque precatus, ne quid regi eueniret, quod tragœdiæ materiam daret. At hæc fortasse copiosius explicata sunt: nunc definitionem breuibus complectamur. Tragœdia est poësis virorum illustrium per agentes personas exprimens calamitates: illa proprietate à comœdia, hac ab epopœia distinguitur. Magnitudinis non memini, quia rem perfectam & absolutam esse debere nemo non intelligit; & carmen omisi, quoniam non est vlla absque eo poësis; neque rhythmum, & harmoniam apposui, quandoquidem istis locus est tantùm in scena, extra quam nihilominus est tragœdia. Quòd si à fine quoq; vlla differentia sumenda est, addatur, vt misericordia & terrore animos ab iis perturbationibus liberet, à quibus huiusmodi facinora proficiscuntur. At fortè inquies, si delectatio est propria poëticæ, quæ voluptas capietur è tragœdia, quæ mœroris & luctus est plena? An mœremus aliorum causa, nostra verò gaudemus, quòd in his malis non simus? An quia dum aliorum miseremur, hoc ipso lætamur; quòd homini à natura insitum est misereri? quæ verò à natura sunt, ea iniucunda esse non possunt? An quia fortasse addiscimus quæ

mus quæ fugere oporteat? ex doctrina autem voluptas. An quia nos ipsa imitatio delectat? Nam etiam res vi sua formidabiles, & aspectu horribiles imitatione aliqua rectè expressas non sine voluptate aspicimus.

De natura & forma Tragœdiæ.

Cap. IX.

NEC *quemadmodum Comœdiam in palliatam, & prætextatam, illam Græcorum, hãc Romanorum distinxerunt, sic ipse Tragœdiam Græcam à Latina, quam prætextatam vocant, cuiusmodi est Senecæ Nero, tamquam varias inter se formas separauero. Nam vtriusque eadem natura est. Et tragœdiæ naturam Aristoteles inquit spectari è fabula, moribus, sententia, dictione, melodia & apparatu. Fabulam ne puta hoc loco* δρᾶμα *significare; indéque Aristotelem reprehendas, quòd id partem effecerit; quod esset genus; verùm, quod sæpe docuimus, actionum constitutionem, & ordinem intellige. Cuius argumentum interdum totum confingitur, qualis est Agathonis tragœdia, quam Florem inscripsit; sæpius vel ab historiarum monumentis, vel à fabulis receptis sumitur. Quas ne immuta, (semper enim antiquitati fides quædam & obseruantia debetur) ne cum Carcino reprehendaris, qui Medeam contra fabularum consensum mansuetam & lenem fecit. Quapropter Euripides, cùm sibi obiiceretur, quòd scelestas atque impuras mulieres Phædram, Iocastam, Pasiphaën in scenam induxisset, non*

set, non aliter se defendit, quàm quod ab aliis ita accepisset. Tamen idem diuersa ab historiis de Helena commentus est; & Aeschylus Prometheum, quem fama erat rupi affixum esse, quò fieret exitus miserabilis, ictum fulmine effinxit. At verò suprà demonstratum est ordine permutato colligationis, & solutionis; nouisq́; personis effictis alienã fabulam posse fieri propriã. Sit autem vna fabula, & breuibus episodiis amplificetur; quoniam angusto temporis spatio concluditur, & imitatur ea solùm quæ à scenicis personis coram spectatoribus aguntur; quæque tribus, quatuor, aut etiam sex horis absoluuntur. Itaque si nullis episodiis accresceret, quamcitissimè absolueretur. Tum propter episodiorum similitudinem; quandoquidem ea tantùm imitatur quæ in scena aguntur, ad exitum rectà festinat. Quamobrem argumentum breuissimum deligendum est, & rerum & personarũ varietate distinguendum. Personæ, reges, principes, duces ex vrbibus, arcibus, castris aduocantur; rarò vulgares & humiles admittũtur: quæ sunt in epopœia frequentiores. Res tragicæ sunt, iussa regum, pugnæ, cædes, incendia, incestus, orbitates, desperationes, funera, fletus, vlulatus; demum eæ quæ atrocitatem & indignitatem habent. Nec certè quippiam est grauius contra verisimilitudinem affectandum, quo spectatorem magis permoueas. Quam rem in Aeschylo à multis animaduersam diximus. Ceterùm tragœdia in eisdem generibus fabularum, in quibus epopœia, versatur. Etenim Antigone, Medea, Hecuba simplices sunt; Oedipus tyrannus, connexa. Præterea Hippo-

Hippolytus, Aiax, Hercules pathetica sunt; Orestes, Ion, Helena moratæ. Verùm pulcherrima censetur, quæ pathetica simul est, atq; connexa. Nihilominus sunt tragœdiæ quædã, quæ mixtam habẽt cum mærore lætitiam; non misero, sed felici exitu conclusæ. qualis apud Euripidẽ est Electra; in qua ex Aegisthi cæde ad multos lætitia peruenit; cuiusmodi etiam sunt Ion, Helena, Orestes: Aeschyli quoque Eumenides cædes quidem habet ac furias, sed ordinem comœdiæ similiorem. Quarum tragœdiarum finis etsi lætus est, facies tamen atrox, & anxia; vt in luctuosa & ancipite fortuna tragœdiam agnoscas. Enimuerò vt epopœia ad gignendum admiratione͂, sic tragœdia ad commiserationem, & terrorem mouendum sese maximè comparauit. Commiseratio, & terror tum ex rebus, tum ex personis petuntur. Res graues & acerbæ esse debent; vulnera, cruciatus, cædes. Quarum rerum vim personarum dignitas, vel indignitas auget vel minuit. Personæ, quarum casu afficiamur, nec probitate, nec scelere insignes inducantur. Nam viri boni calamitate indignamur; contrà mali pœna gaudemus. quis enim (inquit Cicero) parricidæ, aut proditoris supplicio misericordia commouetur? cùm in ea re (vt ait Aristoteles) honestum & æquum sit lætari? sed quæ humano errore, quem fortunæ temeritas sæpius comitatur, in miseriam aliquam inciderunt. Neq; inter hostes, aut neutros, sed inter amicos, maximéque inter cognatos, & propinquos res istiusmodi contingant; vt filius parenti, parens filio, frater fratri, vxor marito necem moliatur; quo & grauior terror in-

 ror in-

ror incutiatur, & excitetur misericordia maior. Nam hosti ab hoste illata nex aut fortasse nullam, aut certè non tantam commiserationem animis nostris affert: etsi humano modo atrocitas rei per se ipsa nos afficit. Iam facinora quæ fiunt, aut scienter, aut inscienter concipiuntur. Et scienter conceptum facinus quandoque perficitur; sicuti Medea sciens filios trucidauit: quandoque non perficitur, vt in Antigone à Creontis cæde se ipsum Aemon continuit. Inscienter verò commissum facinus ac deinde cognitum, vel in ipsa fabula factum intelligitur, veluti Telegonus patrem à se per imprudentiam necatum vidit; vel extra fabulam, vt Oedipus imprudẽter à se patrem interfectum postea sensit. Atque vt plurimum valet ad commiserationem scelus quod per ignorantiam commissum est, ac deinde cognoscitur, sic leue & frigidum illud est quod animo conceptum postmodum non transigitur. Ac quosdam magis delectat id quod intelligenter fit, quàm id quod non intelligenter: verùm illud plus terroris habet, hoc plus commiserationis. Et quamuis ista per se miserabilia & horrenda sint, tamen apparatus quoque, & signa non leuiter spectatores mouent: & bonus histrio, in quo magna vis affectuum posita est, apta pronuntiatione gestu & habitu rem magis ante oculos ponit. Nihilominus prudentiores viri vehementius ex ipsa fabula commoueri solent. At videnda sunt, quæ narrari, quæ agi oporteat. Nam, inquit Horatius,

Segniùs irritant animos demissa per aures,
Quàm quę sunt oculis subiecta fidelibus, & quę

Ipse

Ipſe ſibi tradit ſpectator: non tamen intus
Digna geri promes in ſcenā, multáque tolles
Ex oculis, quę mox narret facundia præſens.

Hinc quidam luctuoſum omne ac miſerabile ex ſpectantium oculis amouendum putant; quemadmodum Aeſchylus huiuſmodi res atroces è ſcena ſubduxit, ne tantam acerbitatem fabula retineret: contrà aliqui ſentiunt; & Græcorum & Latinorum exemplis Horatium diuerſa ſentientem reprehendunt. Verùm Horatius ea ſubtrahenda exiſtimat quæ in ſcena probabiliter fieri nequeunt; aut quæ propter inhumanam crudelitatem offenſionem aliquam habitura ſunt.

Nec pueros coram populo Medea trucidet,
Aut humana palam coquat exta nefarius Atreus,
Aut in auem Progne vertatur, Cadmus in anguem.
Quodcumq. oſtēdis mihi ſic, incredulus odi.

Et Euripidem Ariſtoteles reprehendit, quòd Medeam filios in ſcena trucidantem induxit. Quo mirandum eſt magis Senecam eandem rem imitatum fuiſſe. Verumenimuerò res admirabiles melius narrari, quàm agi poſſe, altero libro docuimus. Ex quo etiam petenda ſunt quæ ad mores & ſententiam pertinent. Illud interim præceptum ſi non acutum eſt, at certè obſeruatum, vt pauciores quàm in Comœdia interlocutores ſint. Nec prohibemus humiliores perſonas quandoque admitti, quarum tamen opera ſit vſus; nec cēſemus indecorè puellas & reginas induci, cùm res grauis in auguſto loco agatur. Quod

tur. Quod minus decet in Comœdia, quæ sæpè etiam de rebus turpibus in foro & plateis loquitur. Diis verò è machina tum est locus, quando præterita referenda sunt, quæ sunt mortalibus occulta; aut futura sunt prædicenda. Ad summam in his adhibentur Dij, quæ humano ingenio & industria sciri, fieríue non possunt. Hinc Horatius de tragœdia loquens, non de comœdia, quæ numquam res habet huiusmodi,

Nec Deus (*inquit*) intersit, nisi dignus vindice nodus
Inciderit. *Talis est in Oreste Apollo, qui in medio tumultu apparens turbulentissimas res componit. Machina verò est instrumentum in scena sublime affixum, in quo Deus includebatur, qui inde fabulam explicaret. Vnde natum prouerbium est de repentino & inopinato auxilio,* θεὸς ἀπὸ μηχανῆς. *Erit autem oratio pro re illustris, copiosa, elata, culta, à vulgari consuetudine remota, plena sententiis grauibus, & ad rem accommodatis. Sed tamen dolor, & molestia orationem sæpe demittit,*

Et tragicus plerumq. dolet sermone pedestri:
Ac
Telephus & Peleus, cùm pauper, & exul vterque,
Proiicit ampullas, & sesquipedalia verba,
Si curat cor spectantis tetigisse querela.

Ac differet famuli aut nuntij sermo à regis oratione, sed styli tragici natura, & lege semper æquè seruata. Carmen adhibebit iambicum senarium relicto tetrametro, quoniam illud desultorium, hoc stata-

rium

rium magis videtur. Iambus enim orationi simillimus est, & in communem sermonem sponte sæpius interuenit, minórque in eo harmonia, quàm in aliis sentitur. Quare hunc socci *(vt inquit Horatius)*

cepere pedem, grandésque cothurni,
Alternis aptum sermonibus, & populares
Vincentem strepitus, & natũ rebus agendis.

Interdum tamen chorus præter iambos etiam versus illos admiscet, qui aut saltationi aut melodiæ magis idonei videntur. De melodia tum, cùm de choro dicetur. At apparatus, scenæ inquam, & histrionum ornatus primò agrestis & incultus fuit, postmodùm personæ, pallæ, cothurni, ceteráque id genus insignia reperta sunt, teste Horatio:

Ignotum tragicæ genus inuexisse camenæ
Dicitur, & plaustris vexisse poëmata Thespis;
Quæ canerent, agerentque peruncti fecibus ora.
Post hunc personæ, pallæq. repertor honestæ
Æschylus, & modicis instrauit pulpita tignis,
Et docuit magnúmq. loqui, nitiq. cothurno.

& primùm quidem scena è ramis & frondibus fiebat; vnde ab vmbra nomen accepit; deinde magnificè ornata fuit extructis mœnibus, turribus, & palatiis prætoriis. Cuius medium regibus dabatur; dextera peregrinum aliquem aut nuntium emittebat; sinistra carcerem habere solita erat. Scenæ apparatui par esse debet habitus histrionum, & nostris temporibus (vt quibusdam placet) peregrinus, qui nouitate delectet. quam rem pictores in suis tabulis summoperè affectant. Vestimentorum genera

Grammaticorum aliqui docuerunt: ego ad choragum, ad quem pertinet appparatus. Ita verò apparatus, & melodia tragœdiæ necessaria sunt, vt memoria, & actio oratori: quandoquidem sine his tragœdia exhiberi non potest.

De partibus Tragœdiæ.

Cap. x.

Prologus CONFICITVR *autem eius magnitudo Prologo, Chorico, Episodio, & Exodo, quibus verbis Græcis, cùm Latina desint, vtemur. Prologus est tragœdiæ principium; cui datæ sunt partes fabulam aperiendi: in quo præteritæ actiones enuntiantur, & ad reliquam fabulam aditus, & munimen instruitur. Equidem actio tragœdiæ cùm vnius diei, vel ad summum duorum spatio terminetur, ea quæ antecedunt, recēsenda in primis sunt, è quibus actio pendet. Personæ, quæ inducuntur in prologo solùm huius ergò,* προτακτικαὶ, *vel* προςακτικαὶ *nominantur. Ne tamen existima prologum tragœdiæ eiusmodi esse, qualem in comœdiis videmus; eum videlicet, quo vel defenditur, & commēdatur persona poëtæ, vel argumentum fabulæ explicatur. nam eiusmodi prologus à fabula diuisus est; neque vllam imitationem habet; eóque tragici Latini & Græci numquam vsi sunt. nec si quis vtatur, eum esse reprehendēdum puto. Nemo enim prohibet antequam res agatur, aut poëtæ personam commendare, aut rei argumentum exponere; quo & amiciùs & attentius fabula spectetur. Finitur autem prologus ingressu*

gressu chori in scenam, quamquam & ipse chorus aliquando prologum facit. Exodus, siue exitum appelles, post vltimas chori partes est, fabulæ solutionem continens: quam eousque perducendam diximus, donec possit ex se aptè dissolui. Quicquid autem inter prologum & exodum est, præter choricum, Episodium appellatur; non quia sit digressio, sed locus digressionibus maximè opportunus. Prologus enim fabulam aperiens, & exodus dissoluens minus commodè digressiones admittunt: quamuis in prologo & in exodo, ac post ipsum exitum interdum aliqua episodia, sed breuiora quidem illa, cernantur. Choricum est pars ea in qua chorus cantat certis quibusdam locis & interuallis interpositus, è sacrificiis in fabulas translatus. Eius est incerta origo. Sed primùm ab Arcadibus, quibus omnia Musicæ principia adscribuntur, ex Dionysiacis tibicinibus Timothei & Philoxeni legibus (quamquam aliqui longè ante Philoxeni tempora id factum dicunt) institutum fuisse proditum est. ac primùm μονοπρόσωπον fuisse; deinde alteram personam adiunctam, vt interrogando & respondendo mutuo sermone delectarent; postmodum quatuor adhibitas, quæ illum in duo paria distinxerunt, ζυγὰ nuncupata. Sed tandem auctus numerus est, & in ordines diuisus; qui, etiamsi ex pluribus constarent, tamen ipsum ζυγοῦ nomen retinuerunt. Ac sanè veterem chorum tragœdiæ quinquaginta hominum fuisse accepimus; mox ab Aeschylo diminutũ, quando Eumenides fabulam dedit; ac processu temporis ad duodecim redactum; postremò huic numero à

Sophocle tres additos esse, quamquam aliqui prius ab Aeschylo ad quindecim redactum affirmant. Qui cantum incipiebat, κορυφαῖος dicebatur. huic verò proximus πρωτοστάτης; tertius τριτοστάτης. Ac κορυφαῖος contentiore vocis sono (vt est apud Laërtium) vtebatur; quem subsequentes alij remißiore & temperato excipiebant. At qui curabat res choro necessarias, choragus, quasi dux chori, vocabatur; ad quem etiam apparatus fabulæ pertinebat. Constat autem chorus non ex regibus aut ducibus, sed ex plebeis senioribus aut iunioribus, mulieribus aut viris, agricolis aut militibus, ciuibus aut peregrinis, demum cuiusuis ætatis, sexus, conditionis, officij: quandoque etiam ex inanimis, & mutis: quibus orationem poëta vi quadam suâ tribuit. Scenam verò ingrediebantur vel terni quinquepartito agmine, aut quini tripartito, nonnumquam etiam sigillatim, & δεξιοστάτης, qui à dextra collocabatur; qui à sinistra, ἀριστεροστάτης dicebatur; & à latere, λαυροστάτης. Stansq; in orchestra eo modo disponebatur, quo rectà vel ingrediens, vel exiens incedebat; eo nimirum modo, quo acies instruebatur. Quos choros quadratos vocabant, & χοροστασίαν, cùm staret, & πάροδον, cùm accederet; & cùm discederet, ἔξοδον. Vbi scenã ingressus est, numquã interim totus discedit; sed interdum altera parte pro scena remanẽte, altera actores sequitur, qui se intrò recipiũt. Ac totus interdũ canit, mouetur, gestit, & salit ad tibias admixta & versuum & tractuum varietate: interdum chori partes pari habitu sibi aduersæ inter se colloquuntur. Quę dimidiatum chorum διχορίαν:

partem

partem verò chori ἡμιχόριον; at chori responsum ἀντιχορίαν appellarunt. Post quemq; actum, quinto excepto, spectatores intuens alloquitur, ne qua cessatio in theatro oriatur, quæ populum à spectatione abducat. Aliquando etiam cum actoribus tamquam actor colloquitur, ne cùm semper in scena sit, penitus otiosus videatur. Ac cùm aliquem ex choro pro quarto actore dicere necesse est, παρασκήνιον dicitur; cùm autem quartus actor interpellat, παραχόρηγμα: hoc quia extra chori propositum; illud quia est à scenica materia diuersum. Atque etiam interdum chorus vnius personæ vicem subit; ac tūc vnus ex choro loquitur; interdum poëtæ; ac tum præsertim, cùm totus canit. Ergo non semper canit, sed interdum totus, interdum dimidiatus, interdum vnus ex choro cum actoribus loquitur; sicut ipsos actores videmus interdum & loqui cum choro, & inter se his versiculis vti quibus chorus vti solet. Illud etiam à choro frequenter vsurpatum videmus, vt post longam orationem duos iambicos apponat. Licet enim choro quoduis genus carminum vsurpare, sed tamen aliqui anapæsticorum, aliqui trochaicorum obseruantiores extiterunt. Hæc in vniuersum de choro dicta sint. nunc de choro tragœdiæ speciatim magis loquamur. Eius plures sunt actiones. Πάροδος ingressum continet chori in scenam saltantis simul & canentis; etsi non iidem, vt quondam aliâs fiebat, saltarent, & canerent. ἔξοδος discessum habet chori è scena. ςάσιμος est, in quo stat, nec mouetur chorus, tum cùm fabulæ calamitates incipit explicare: χοροςασίαν, vel choricum statarium appellare

quibusdam libuit. Quem cantum Aristoteles idcirco sine anapæstis & trochæis confici voluit; quoniam hi pedes in saltatione maximè adhibentur. Κομμὸς *est postrema, sed non semper necessaria chori actio cum his qui in scena sunt, infelicitatē suam vel alienam, priuatam vel communem deplorantis, exodi propria, qui fabulæ calamitatem & commiserationem comprehendit. Quod sit autem chori officium vnus Horatius pulcherrimè describit:*

Chorimum

Authoris partes chorus, officiúmque virile
Defendat, neu quid medios intercinat actus,
Quod nō proposito cōducat, & hęreat aptè.
Ille bonis faueátque, & concilietur amicis,
Et regat iratos, & amet peccare timentes;
Ille dapes laudet mēsæ breuis, ille salubrem
Iustitiam, legésque, & apertis otia portis.
Ille tegat cōmissa, deósque precetur, & oret,
Vt redeat miseris, abeat fortuna superbis.

Canendi verò genus illi est submißius, minus concitatum, luctuosum, & triste, deplorandísque miseris & calamitatibus accommodatum. Qui cùm principio simplicioribus numeris & modis cantus suos moderaretur, deinde accedente artis elegantia varios sonos & modulantiores adhibuit. Hinc Horatius,

Tibia nō vt nunc orichalco iuncta, tubæque
Æmula, sed tenuis, simpléxque foramine
    paruo
Aspirare, & adesse choris erat vtilis, atque
Nondum spissa nimis cōplere sedilia flatu.

Cuius cantilenæ rationem ego totam Musicis relinquo: di-

quo: dicámque de saltatione solùm hoc quod primum in læuam mouebatur, qui motus στροφὴ *dicebatur; tum inde ad dexteram reuertens eadem vestigia totidem numeris & paribus interuallis repetebat, cui nomen erat* ἀντίστροφος; *postremò hoc spatio absoluto consistebat: & quoniam stans à superioribus diuersa accinebat, id* ἐπωδὸς *appellabatur. Sed non semper istæ leges obseruatæ sunt. nam in tragicis choris sæpè est sola* στροφὴ, *quòd in imitatione magis, quàm in simplici narratione versentur. Ergo reliquæ partes tragœdiæ tantummodo versus, choricum verò cum versu cantilenam habet; & certis quibusdam locis etiam saltationem. Altera est tragœdiæ in Protasin, Epitasin, Catastasin, & Catastrophen ab illa altera nominibus magis quàm re dissimilis distributio. Nam Protasis, in qua summa rei explicatur, cum Prologo consentit; & Catastrophe, quæ negotij conuersio est, idem quod Exodus valet; Episodium verò in Epitasi & Catastasi inesse intelligitur; illa turbas excitat, aut intendit; hæc res permiscet, sic dicta, quòd nimirū in eâ stet fabulæ status. Nonnulli tamen cum Epitasi Catastasim coniunxerunt. Ac Protasis & Catastrophe modo inter se differunt, cùm vtraque negotiosa sit: Nam catastrophe turbis exilia & mortes adiungit. Quare in fabulis verè tragicis sedatiora principia sunt horribiles exitus: secus in mixtis, velut in Comœdiis, vertuntur omnia in tranquillitatem non expectatam. Tertia est Latinorum diuisio in partes quinque, quas à communibus actionibus Actus appellarunt: quippe agentes, & loquentes in illis personæ in-*

sonæ inducuntur; & à numeri ordine cognomen indiderunt: eásque nec augeri, nec minui posse monet Horatius,

Néue minor quinto, neu sit productior actu
Fabula, quæ posci vult, & spectata reponi.

Est autem actus integra quædam pars fabulæ pro diuersa sui ratione continens varias actiones. Qui verò actus finierũt esse portiones illarum partium in quas tragœdiam suprà diuisimus, non satis notarunt neque prologum semper totum primo actu concludi, & actum quintum interdum æqualem esse catastrophe. Itaque pars exodi non erit. Ac sanè chorus actum ab actu secernit; incipítque post primum canere, desinítque post quartum. qui verò in quinto est, pro iusto choro nõ habetur. Et sæpe tamquam index breui aliqua sentẽtia, quid factum sit, declarat. quod obseruatum à Græcis Seneca ferè neglexit. Atque apud Græcos interdum sunt plures chori, interdum etiam pauciores; sic vt Latinorum istam actuum rationem minus tenuisse videantur. Ad hæc actus habet quoque partes suas; quæ scenæ dicuntur à frondibus & ramis; è quibus ædiculæ fiebant: vnde alia atque alia facies vicißim cernebatur. Scena verò alicuius personæ vel discessu, vel aduentu internoscitur; ac quandoque vnam, quandoque duas, quandoque plures personas recipit. Verùm Horatius iubet in eadem scena ne quarta loqui persona laboret: nõ quòd interdum quatuor actores induci non liceat, sed, ne sermones perturbentur, cùm tres colloquuntur, iubet ne quarta loqui persona laboret. Atque etiam chorus actorum

congressus

congressus rarò, & paucis interrumpit; ac tum sanè id facit, cùm duo tantùm colloquuntur: sin tres simul fuerint, non prius loquitur, quàm tertia persona omnino conticuerit. Nec vniuscuiusque actus eadem est magnitudo; sed ille longiùs producitur, in quo res grauiores aguntur, aut spectatores iucundiùs detinentur. Verùm non pluribus decem scenis actum constare notarunt nonnulli; nec actores plures esse, quàm quatuordecim. Nec semper necesse est actores intro se post absolutum actum recipere, & egredi cùm inchoandus est; dum sic taceant, vt è proscenio recessisse iudicentur. Actorum nomina in scena proponebantur, & quo quisque ordine, & quas partes ageret, indicabatur. Ceterùm mihi Græcorum tragœdiæ distributio magis probatur, quàm Latinorum. Nam illi δρᾶμα, quam Latini fabulam vocant, in membra dissimilia, & natura inter se differentia partiuntur; hi simpliciter fabulæ magnitudinem secant in partes non vi distinctas, sed numero. Quòd si velimus vtramque conferre, actum primum ad prologum, quintum ad exodum, reliquos ad episodiũ, & choricum referamus: licet chorus actus distinguat, & interdum secundus aliquam partem prologi excipiat, & quartus exodi. Et vt cuiusque actus vim sigillatim notemus, primus habet totius rei breuem expositionem; in quo nonnumquam chorus ingreditur, & consistit, & prologum interdum exponit: quod Seneca penitus neglexit. Secundus initium fabulæ aperit, quamquam & primus quandoque id facit. Tertius pericula demonstrat. Quartus quò res vergant declarat, vel aliquam

aliquam calamitatem affert. Quintus aut nuntiat mala quæ euenerunt, aut fabulam miserabili fine concludit. Neque negauerim alios actus posse alia pericula & mala proferre; sed fabulæ propria calamitas quarto & quinto continetur. In quo vt ingeniosiores se poëtæ, sic actores industriosiores se conantur ostendere. Agebantur autem seriæ tragœdiæ sacris Dionysiis, Lenæis, Panathenæis; Satyricæ verò Chytris. quare τετραλογία σατυρικὴ dicta est. de qua proximo libro dicetur.

Vtra præstantior sit Tragœdia, an Epopœia. CAP. XI.

AT vtra præstantior sit Tragœdia ne, an Epopœia, magna est inter Platonem Aristotelemq́; dissensio. Nam Plato, quoniam Epopœia sine vllis machinationibus & illecebris extrinsecus accersitis per se delectat, & humanæ vitæ vniuersam rationem describens eam viam maximè docet, qua homines in Deos possint euadere; tragœdia verò ad vulgarium hominum voluptatem comparata nihil non agit quo spectatores vehementius commoueat; siquidem loca exornat, histriones inducit, cantus & saltationes admiscet; illam grauioribus & peritioribus hominibus gratiorem, hanc leuioribus & imperitioribus iucundiorem fore existimat. Contrà Aristoteles negat tragœdiam idcirco postponendam esse, quia videtur extrinsecus adiumenta petere ad delectandum: quoniam sine melodia & apparatu, quæ potius histrionicæ artis sunt, ex se ipsa vim habet etiam

bet etiam ad mouendum non minimam. Neque omnem cantum, aut motum vituperari ait; cùm & epopœiæ carmina ſono quodam adhibito & geſtu recitentur. At quantam obſecro gratiam habitura eſt tragœdia ſine melodia, & apparatu? quæ quidem potiora ſunt, quàm in oratore actio, & memoria: quæ'que fabulam minus fortè per ſe pulchram ita ſæpe commendarunt, vt in vniuerſo conſeſſu frequentē plauſum excitauerint. Sed eſto, dicet Ariſtoteles, epopœia tragœdiæ hac in re præferatur, quòd extrinſecus adiumenta non quærat; tamen poſtponenda, quia tragœdia habet eadem omnia quæ inſunt in epopœia, fabulam inquam, mores, ſententiam, & dictionem, & quia fit agendo, quàm legendo illuſtrior & euidentior, & quia citius & plenius finem ſuum conſequitur, & quia ſimplicior eſt, magíſque vniformis; nam ſumi poſſunt ex epopœiæ actionibus fabularum aliquot argumēta, non item ex tragœdia. Nihilominus ſummorum virorum ſententia epopœia copioſiùs & ornatiùs genera ſua perſequitur; ac fabulæ partes maiore artificio & induſtria componit; nec, licet multas actiones comprehendat, quibus opus ſuum ornet & augeat, poëſim tamen multiformem reddit. Verùm in tragœdia melodia & apparatus multū præſtat: quódque breuior ſit, quàm epopœia, temporis ratio facit: quoniam ſpectator in ſcena diutius non poteſt detineri, eadémque ratione epiſodia pauciora & breuiora intexit: alioquin, ſi plura epiſodia interponeret, minus perſpicua, minúſque ſecum conſentiens eſſet. Tamen mihi perſuadeo (neque enim tantus

ipſe

ipse sum, qui tantorum hominum litem per me possim dirimere) Aristotelem aut desiderio placendi Atheniensibus, quos tragœdiarum spectatio summopere delectabat, aut studio dissentiendi à præceptore suo Platone, cui in plerisque philosophiæ decretis aduersatus est, epopœiæ tragœdiam prætulisse. Et de vtraque iam certè satis.

De origine Comœdiæ; déque eius generibus. Cap. XII.

NVNC *de Comœdia dicendum est. Comœdia à rebus diuinis non secus atque tragœdia ortum habuit. Eam aliqui ex Ithyphallicis profectam volunt. Sanè olim Athenienses cùm è genitalibus laborarent, quod Bacchi signum à Pegaso quodam allatum ex oppido Bartinæ, cui nomen* ἐλαθῆραι, *minore cultu & honore excepissent, multis frustra tentatis remediis, tandem ex oraculo perticas, atque in eorum fastigio coriaceum genitale, quod* φαλλὸν *Græci vocant, tum publicis in locis, tum priuatis in ædibus erexerunt; circum quod & conuicia, & ridicula & turpia quædam, & obscena cum tripudiis canebantur & agebantur. vnde & sacra, & carmina* φαλλικὰ *dicta sunt. à quibus deinde orta Comœdia est. aut è sacris Nomij Apollinis, quæ ob frugum prouentum fiebant. Nam rusticorum chorus circum aram primùm, deinde circum vicos & pagos cantando exultabat; & maledicta tum in se inuicem, tum in alios contorquere solebat; postremò ciuitatẽ nocte plaustris ingressus, & vultu fecibus inqui-*

inquinatus carpere ciuium facinora, & scelera incepit. quæ res cùm vtilis reip. videretur, quòd ob illorum maledicta ciues à malefactis abstinerent, facultas data est; vt interdiu liberè idem agerent; atque his, qui se hac in re exercuissent, hircus, quod tragicorum præmium erat, propositus fuit. Sic à rusticis ad vrbanos poëtas Comœdia transiit: illisque ciuitatis magistratus publicis expensis chorum subministrauit. Quæ res gestæ feruntur belli Peloponnesiaci tempore: quo Atheniensium remp. populo administrãte, Susario, vel (vt alij legunt) Samnyro Rullus, Connis, Magnes, Cratinus poëtæ comici extiterunt. Quas ob res Athenienses Comœdiam suam esse confirmant. At Megarenses tam ij qui sunt in Græcia, quàm ij qui in Sicilia, suam aiunt; tum quia Epicharmus Siculus & Phormus Syracusanus, qui primi rectam comœdiæ speciem inuenisse traduntur, & quam ab antiquis rudem acceperant poliuisse, longè ante Connida & Magnetem fuerunt; tum quia κώμη, vnde comœdiæ nomen defluxit, vox Megarensium propria est. Nam Athenienses pagos δήμους, non κώμας vocant; nec δρᾶν, à quo δρᾶμα deriuatur, sed πράττειν dicunt. Itaque Siculis, qui primi fabulas confingere docuerunt, ortum, cultum, & laudem Comœdiæ adscribunt. Nec quo pacto adoleuerit, æquè de comœdia, atque de tragœdia compertum habemus; quoniam diu neglecta (vt scribit Aristoteles) latuit: quippe cui serò à magistratu, quem ἄρχοντα vocabant, chorus datus est, non propter studium maledicendi, sed quia seriùs placuit, quàm tragœdia. Est autem

dari chorum, ære publico sumptum fieri in chorum. cuius numerus cùm satis magnus existeret & choragi, ac coryphæi artis Musicæ peritißimi non paruo pretio conducendi essent, tantis impensis non sufficiente poëta, illi pecunia publica ex ærario erogabatur. Nec ætas vna est veteris Comœdiæ. Nam sub Susarione, cuius nomen inter comicos priscos primùm celebratur, Comœdia rudis & inconcinna fuit; tum Cratinus partes distinxit, & numerum personarum definiuit; postremò Aristophanes eam limauit. In qua, præter hos, quos nominauimus, etiam Eupolis, Crates, Archippus, Plato, Theopompus, Phrynichus, Stratis, Teleclides, Pherecrates floruerunt. Omniũ verò præstantißimi, sed inter se dißimiles, Eupolis, Cratinus, Aristophanes habiti sunt. Eupolis grauis, & cum venustate fictarum personarum acerbus; Cratinus acer, & apertus; Aristophanes cum risu mordax. quorum omnium scopus vnus fuit mordendi & irridẽdi. Quæ mordax irrisio chori maximè propria tunc coërcita fuit, quando reip. Atheniensium administratio ad triginta tyrannos redacta est; qui iniquo animo ferentes publicè reprehendi, legem promulgarunt, qua omnibus liceret in iudicium eos poëtas accersire, à quibus iniuria affecti fuissent. Eupolidis quoque mors non parum licentiam poëtarum repreßit: qui ab Alcibiade, contra quem τὺς βάπτυς scripserat, in mare præcipitatus est imitatus fabulæ suæ nomẽ. Hanc comœdiam, in qua non licebat quemquam nominatim reprehendere, mediam appellarunt. quod nomen tunc impositum est, cùm nouæ comœdiæ appellatio

pellatio instituta fuit, vetere posterior, noua prior, sed veteris similior; quoniam παραβάσεις contra poëtas non omiserat, & quasi ius quoddam reprehendendi etiamnum retinens vitia ciuium ἐν αἰνίγματι vellicabat. Quo in genere cum his quos modò memini, etiam præstiterunt Antiphanes, Stephanus, Philippides, Strato, Anaxilas, Mnesimachus, Epicrates, Ambraciota, Nicostrates, & Plato veteris Comœdiæ scriptor. Sed cùm etiam media hæc Comœdia in suspicionem simultatis & odiorum venisset, omnem maledicendi libertatem amisit choro penitus tacere iusso. Itaque Horatius,

Successit vetus his Comœdia nō sine magna
Laude, sed in vitium libertas excidit, & vim
Dignā lege regi. Lex est accepta, chorusq́ue
Turpiter obticuit sublato iure nocendi.

Tunc igitur fictis argumentis & personis, iocísque & salibus ad delectandum admixtis communem vitam & mores imitari cœperunt Alexandri magni temporibus. Ad quam nouam Comœdiam fabricandam Aristophanis filium Menander & Philemon tamquam regulam secuti sunt. Quamobrem tria Comœdiarum genera traduntur, vetus, medium, & nouum. Differt autem à veteri noua, quòd illa sæpe vera, hæc ficta sumit argumenta; illa mordax maledica salsa ad irridendum & cauillandum ansam ex qualibet re captās, hæc sine vlla acerbitate festiua est, habens tamen interdum, sed rarissimè, quosdam quasi reprehensionis aculeos, quibus sine contumelia pungit; illa multa carminum genera permiscet, hæc solis iambicis & trochaicis ac ser-

mone magis populari vtitur. nec in easdem partes actúsue distinguitur. Et suos quoque poëtas habuit Diphylum, Philippidem, Posidippum, Apollodorum, Philemonem, & , qui omnium præstantissimus iudicatus est, Menandrum. Apud Latinos quis fabulam primus ediderit, non satis clarum est. Verùm anno ab vrbe condita 400, T. Sulpitio Potito, & C. Licinio Stolone Coss. cùm anno antè ciuitas peste laborasset, è carmine Sibyllino ludi scenici instituti sunt, & ludiones ex Etruria aduocati; quos ea gens histriones appellat. Hi motibus pro ea ætate non incõcinnis, taciti ad tibicinis sonum saliebant: tum rusticos Italos æmulati, qui Græcorum more perfectis sacris rusticana quædam dicta ad risum excitandum in se inuicem iactabant, alternis versibus dictis à Fescenina vrbe Etruriæ fesceninis se ipsos mordere nullum insectantes nominatim (cùm id antè xij. tabulis cautum esset) neque interim obscenis & impuris verbis parcentes. Fescenini deinde sensim è scena abierunt, & fabulæ cæptæ sunt agi, quæ sine vllius offensione placerent. Ac primus Latinis versibus iustæ magnitudinis fabulam more Græco fecit Liuius Andronichus libertus Salinatoris anno ab vrbe condita 514. Appio Claudio Cæci F. Sempronio Tuditano Coss. aliquot annis antequam primum bellum Punicum confectum fuisset; multósque in scribendis Comœdiis in sui studium & imitationem conuertit, Næuium, Plautum, Cæcilium, Ennium, Terentium. Dicta verò est Palliata Comœdia, quæ argumento Græco vtebatur, ac Græcorum more pallium actoribus induebat; cu-

bat; cuiusmodi sunt Terentÿ, & Plauti fabulæ: Togata verò, quæ ex Romanis rebus argumentum petebat, inducebátque Romanorum more histriones togatos. Et togatarum nobilißima erat prætextata, quæ principum virorum actiones effingebat, dicta à prætexta magistratuum Romanorum indumento. Ac C. Melissus Spoletanus Mæcenatis libertus bibliothecæ in porticu Octauiæ ab Augusto præfectus, quasdam fabulas dedit, (vt est in libello De claris Grammaticis) quas Trabeatas appellauit, aut prætextatis simillimas, aut opinor easdem: siquidem trabea vestis est dignitate prætexta non sàtis inferior. Illæ autem minus illustres erant, in quibus priuati Senatores cum togis inducebantur. Verùm quæ popularium hominum negotia complectebantur, non à vestitu dictæ tunicatæ, sed à tabernis in scena extructis, tabernariæ, palliatas omninò exprimentes, à togatis rerum & personarum humilitate disiunguntur. At ab Atella Oscorum oppido, Atellana Comœdia vocitata est, tota dicax, & iocosa, quandam Satyricæ imitationis habens similitudinem: quæ in ipsa verborum acerbitate nihil præter risum aucupabatur, & fescenina carmina plena iocis petulantioribus inter actus inserebat. Addunt aliqui Rhyntonicam à Rhyntone Tarētino quodam histrione, aut poëta (si is est cuius meminit Athenæus libro tertio) nominatam. Ceterum planipedes fabulas aliqui arbitrantur eas esse quæ ob argumēti humilitatem neque cothurno, neque sócco vtebantur, sed earum actores plano pede incedebant. Alÿ Mimum, & Planipedem idem esse putant. Mimus

autem est rerum vilissimarum & leuium personarum crebra imitatio. Alij sic appellatas existimant, quia non in scenæ suggestu, sed in plano agebatur. Alij non modò mimos, Satyras, & Comœdias, verùm etiam eas tragœdias planipedes appellant, quæ neque aguntur in proscenio, neque cothurno, neque socco, neque vllo calciamenti genere vtuntur. Mihi placet appellare planipedem fabulam, non quæ humi sine ædificiis, sed quæ nec cothurno vt tragœdia, nec socco vt Comœdia, sed nudis pedibus agebatur. Adhæc quædam Comœdiæ dicuntur motoriæ, siue turbulentæ & negotiosæ; in quibus res sunt magis perturbatæ; vt Adelphi, Phormio, Heautontimorumenos; contrà quædam Statariæ; cuiusmodi Pseudolus, Trinummus, Hecyra, & Asinaria est. Addunt aliqui medias, quæ vtriusque generis participes sunt. Atque harum aliæ plus quietis, vt Aulularia; aliæ plus habent motus, vt Eunuchus. Illa verò in veteres Andronichi, medias Pacuuij, nouas Terentij non à rerum natura, sed à dictionis stylo, & tempore ducta diuisio est. Nos eam rationem Comœdiæ trademus quæ vsitata est; quámque præstantissimi poëtarum maximè obseruarunt.

De notatione, & definitione Comœdiæ.

Cap. XIII.

COMOEDIAM *nonnulli ex* κωμάζειν, καὶ ᾄδειν, *vel* ἐν ταῖς ὁδοῖς *interpretantur, ex cantilenis, quæ post comissationes canebantur.* κωμάζειν *est*

ζειν est lasciuia efferri, petulantem esse, carminibus, saltationibus, & comissationibus indulgere: ᾄδειν Latinè canere: ἐν ταῖς ᾠδοῖς in viis significat. Nam rusticorum iuuenum in vnũ coacta multitudo post rem sacram, vel conuiuia, negotiis diurnis animo soluto siue heri, siue parentis metu tempesta nocte in viis exultando sese, & alios probris maledictísque petebat. Aliqui παρὰ τὴν κώμην, καὶ τὴν ᾠδὴν appellatam volunt, quia in vicis & pagis ageretur. Vtramque nominis interpretationem docti homines commendant: sed priorem Athenienses, Megarenses alteram magis probant. Finitur autem à quibusdam ἰδιωτικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχὴ. Quam definitionem reprehendunt ij qui negant esse comœdiam absque periculo. Verùm ego illos puto ἀκίνδυνον περιοχὴν dixisse, non quia res comicæ nullo in periculo versentur, sed quia exitus fabulæ securitatem consequitur: licetq́ serui, lenones, aut huiusmodi personæ aliqua postremò damna patiantur, non tamen eæ sunt in quibus vniuersum fabulæ negotium vertitur. Nec infitias eo lætum exitum Comœdiæ aliquo dolore quandoq. perfundi, vt Asinariæ, Mostellariæ, Phormionis, Casinæ, Persæ, non secus ac finis tragœdiæ, qui ex se tristis est, interdum aliqua lætitia permiscetur: nihilominus si fabulæ naturam, & frequentiorem vsum aduertas, vt Tragœdiam mæstus, sic Comœdiam exitus hilaris magis decet, atque vt in tragœdia non est sine discrimine lætitia, sic in Comœdia non est sine festiuitate discrimen. Mox reprehendunt, quòd ciuilis & priuatæ fortunæ comprehen-

sionem esse dicant, quando principes viros veteres comici vexarunt, & primarios reip. homines prætextatæ recipiunt. Verùm eæ personæ si priuatæ non sunt, sunt tamen ciuiles. Omnes enim Athenienses, & Romani ciues dicebantur: apud quos nullus erat dominatus, sed æqualitas legum, vtilitásque communis. Attamen ad tragædiæ definitionis normam si dirigatur, meliùs & propriùs definiri sic poterit: Comædia est poësis, quæ ad docendum vitæ consuetudinem ciuiles & priuatas actiones per agentes personas non sine iocis & salibus imitatur. Carmen non addidi, quia imperfecta est sine carmine poësis. quamquam Crates primus dicitur Athenis soluta oratione Comædiam scripsisse. Cur igitur si ciuiles actiones imitatur, & carmen habet, Horatio non erit poësis? An isto nomine dignam esse non duxit, quia rerum magnificentiam non haberet? quasi rerum grauitas, & amplitudo poësim efficiat, non imitatio, & carmen. Iam ciuiles & priuatæ actiones ab epopæia, & tragædia comædiam seiungunt: & agentes personæ adhuc magis ab epopæia ipsam distinguunt: ioci verò & sales etiam magis à Tragædia. quippe illa terrorem & commiserationem: hæc risum & lætitiam parit. Saltationem & cantum prætermisi, tum quia chorus, penes quem ista sunt, nullus amplius est; tum quia etiam extra scenam nihilo minus est, dum legitur Comædia. Postremò finem eius ostendimus, humanæ vitæ doctrinam, & imaginem esse.

De for-

De forma Comœdiæ.
CAP. XIIII.

ATQVE in Comœdia sunt eadem spectanda, quæ in tragœdia, fabula, mores, sententia, dictio, & apparatus; melodia excepta, quæ in noua Comœdia nulla est; nempe in qua nullus est chorus. Fabulam dico, non δρᾶμα (quod antea monui) sed ipsam imitationem, imitationísue figuram. Fingit autem comœdia rēs non portentosas, quales in epopœia frequenter narrantur, & in tragœdia interdum ostenduntur, non tragicas, hoc est, horrificas & luctuosas, non illustres & graues epopœiæ, pariter & tragœdiæ proprias, sed ciuiles & priuatas, captans vbique lepores & festiuitates. Itaque amores, lusus, conuiuia, ebrietates, dolos, furta, & huiusmodi alia comminiscitur. Hinc è pagis sumit Chremetes, & ex humili loco Thaides, & Dauos: in vniuersum vulgares, & populares homines inducit, quorum nomina rebus apta confingit. Regias personas numquam admittit: induxit Plautus in Amphytrione; tamen eam tragicocomœdiā appellauit. Sed & vetus comœdia præter dignitatē superos adhibuit. atqui hoc illorum religioni detur. Verùm enimuerò personas, quas imitatur, nec ita probas effingat, vt perturbari, decipi, errare non poßint; nec vndiq. improbas, sed eius modi, quales humana ætas & cōditio ferre solet: ac ridiculas iocorū & facetiarū gratia sine vllius damno deformes & turpes adhibeat. tū cōtentiones, & rixas vt plurimū inter amicos, aut inter cōsanguineos et propinquos excitet,

quo

quo lætiorem exitum sortiatur. multa tollat ex oculis spectantium, quæ aut turpia sunt, vt concubitus; aut indecora, vt parere; aut demum fastidium aliquod & offensionem allatura sunt, vt comissationes atque conuiuia: quæ vel in scena mox narrentur, id quod facit Chærea Terẽtianus de stuprata à se virgine; vel, si commodè fieri possit, intus aliqua voce edita extra exaudiantur, vt illud est apud Terentium, Iuno Lucina fer opem, serua me obsecro. Agnitiones licet interdum intus fiant, ac deinde foris nuntientur, tamen si spectãdæ exhibeantur, plus admirationis & voluptatis habituræ videntur, dum id rerum probabilitas, & natura patiatur. Illud ad decorum pertinet, vt, quoniam in foro & plateis comœdia, & de rebus quidem turpibus sæpe agit, ne honestæ & pudicæ mulieres, præsertim puellæ, nisi fortè vt solùm demonstrentur, in scenam agentes inducantur: famulas excipio, quarum non tanti est honestas; & meretrices, quæ iam frontem perfricuerunt. Nec mihi Plauti exempla obiicias, qui minus fuit in obscenis rebus, & indecoris verecundus; idemq; in iocis & salibus nimius ab Horatio notatur. Sanè ridiculis aspergenda & condienda comœdia est, cuius est festiuitas, sicut tragœdiæ terror, & commiseratio propria; sed liberali tamen moderatione etiam temperanda, vt non minus à grauioribus hominibus, quàm à ciceris aut nucis emptoribus probetur. Fuere tamen qui se totos ad risum compararint, magísque lepôre, quàm elegãtia placuerint: è quorũ numero Epicharmum dicas: ad cuius exemplum properare Plautum Horatius

ratius scribit. Et Volcatius, opinor, ridiculorũ gratia secundum à Cæcilio locum inter comicos Plauto tribuit, Terentio postremum: quia dum nitori & munditiæ studet orationis, minus festiuus & lepidus est. Atque hanc eandem ob causam existimo Philemonem Menandro prælatum fuisse: si talis fuit Menander, qualis Terentius habetur æmulus, & imitator Menandri. Verùm doctissimorum hominum iudicia longè alia fuere, & æquiora; qui rerum naturam grauiore ratione perpendunt, non multitudinis sensu. De ridiculis, quæ deformia quædam sunt dicta vel facta sine dolore, nouitate, & admiratione animum iucundè mouentia, nihil à nobis dicetur, quoniam de illis à dicendi præceptoribus copiosius disputatum est. Et quæ de vnitate fabulæ, & episodiis in tragœdia tradidimus, nullo hic pacto repetentur. Illud verò iam monuimus, Comœdiam in exprimẽdis moribus potissimè versari, ac tragicos illos affectus, &, vt verbo Græco dicam, πάθη horrere; tum vel simplicem esse sine agnitione, & peripetia, vt Plauti Asinaria; vel connexam aut sola agnitione, vt Hecyra Terentij; aut sola rerum inopinata mutatione, vt Miles gloriosus, aut vtraque simul vt Andria: ac connexam simplici anteponi, & eam fabulam omnium optimam iudicari, quæ ex agnitione & peripetia connectitur. Et licet apud Latinos aliæ dicantur motoriæ, aliæ statariæ, aliæ mixtæ; & motoriæ statariis, & mixtæ omnibus præferantur; tamen, vel motoria, vel stataria, vel mixta Comœdia sit, aliquo horum, quæ recẽsuimus, fabularum genere contineatur necesse est. Denique

omnium

aliquam calamitatem affert. Quintus aut nuntiat mala quæ euenerunt, aut fabulam miserabili fine concludit. Neque negauerim alios actus posse alia pericula & mala proferre; sed fabulæ propria calamitas quarto & quinto continetur. In quo vt ingeniosiores se poëtæ, sic actores industriosiores se conantur ostendere. Agebantur autem seriæ tragœdiæ sacris Dionysiis, Lenæis, Panathenæis; Satyricæ verò Chytris. quare τετραλογία σατυρικὴ dicta est. de qua proximo libro dicetur.

Vtra præstantior sit Tragœdia, an Epopœia. CAP. XI.

AT vtra præstantior sit Tragœdia ne, an Epopœia, magna est inter Platonem Aristotelemq́ dissensio. Nam Plato, quoniam Epopœia sine vllis machinationibus & illecebris extrinsecus accersitis per se delectat, & humanæ vitæ vniuersam rationem describens eam viam maximè docet, qua homines in Deos poßint euadere; tragœdia verò ad vulgarium hominum voluptatem comparata nihil non agit quo spectatores vehementius commoueat; siquidem loca exornat, histriones inducit, cantus & saltationes admiscet; illam grauioribus & peritioribus hominibus gratiorem, hanc leuioribus & imperitioribus iucundiorem fore existimat. Contrà Aristoteles negat tragœdiam idcirco postponendam esse, quia videtur extrinsecus adiumenta petere ad delectandum: quoniam sine melodia & apparatu, quæ potius histrionicæ artis sunt, ex se ipsa vim habet etiam

bet etiam ad mouendum non minimam. Neque omnem cantum, aut motum vituperari ait; cùm & epopœiæ carmina ſono quodam adhibito & geſtu recitentur. At quantam obſecro gratiam habitura eſt tragœdia ſine melodia, & apparatu? quæ quidem potiora ſunt, quàm in oratore actio, & memoria: quæque fabulam minus fortè per ſe pulchram ita ſæpe commendarunt, vt in vniuerſo conſeſſu frequentē plauſum excitauerint. Sed eſto, dicet Ariſtoteles, epopœia tragœdiæ hac in re præferatur, quòd extrinſecus adiumenta non quærat; tamen poſtponenda, quia tragœdia habet eadem omnia quæ inſunt in epopœia, fabulam inquam, mores, ſententiam, & dictionem, & quia ſit agendo, quàm legendo illuſtrior & euidentior, & quia citius & plenius finem ſuum conſequitur, & quia ſimplicior eſt, magíſque vniformis; nam ſumi poſſunt ex epopœiæ actionibus fabularum aliquot argumēta, non item ex tragœdia. Nihilominus ſummorum virorum ſententia epopœia copioſiùs & ornatiùs genera ſua perſequitur; ac fabulæ partes maiore artificio & induſtria componit; nec, licet multas actiones comprehendat, quibus opus ſuum ornet & augeat, poëſim tamen multiformem reddit. Verùm in tragœdia melodia & apparatus multū præſtat: quódque breuior ſit, quàm epopœia, temporis ratio facit: quoniam ſpectator in ſcena diutius non poteſt detineri, eadémque ratione epiſodia pauciora & breuiora intexit: alioquin, ſi plura epiſodia interponeret, minus perſpicua, minúſque ſecum conſentiens eſſet. Tamen mihi perſuadeo (neque enim tantus

ipſe

ipse sum, qui tantorum hominum litem per me possim dirimere) Aristotelem aut desiderio placendi Atheniensibus, quos tragœdiarum spectatio summopere delectabat, aut studio dissentiendi à præceptore suo Platone, cui in plerisque philosophiæ decretis aduersatus est, epopæia tragœdiam prætulisse. Et de vtraque iam certè satis.

De origine Comœdiæ; déque eius generibus. CAP. XII.

NVNC *de Comœdia dicendum est. Comœdia à rebus diuinis non secus atque tragœdia ortum habuit. Eam aliqui ex Ithyphallicis profectam volunt. Sanè olim Athenienses cùm è genitalibus laborarent, quod Bacchi signum à Pegaso quodam allatum ex oppido Bartinæ, cui nomen* ἐλαθῆραι, *minore cultu & honore excepissent, multis frustra tentatis remediis, tandem ex oraculo perticas, atque in eorum fastigio cortaceum genitale, quod* φαλλὸν *Græci vocant, tum publicis in locis, tum priuatis in ædibus erexerunt; circum quod & conuicia, & ridicula & turpia quædam, & obscena cum tripudiis canebantur & agebantur. vnde & sacra, & carmina* φαλλικὰ *dicta sunt. à quibus deinde orta Comœdia est. aut è sacris Nomij Apollinis, quæ ob frugum prouentum fiebant. Nam rusticorum chorus circum aram primùm, deinde circum vicos & pagos cantando exultabat; & maledicta tum in se inuicem, tum in alios contorquere solebat; postremò ciuitatē nocte plaustris ingressus, & vultu fecibus*

inqui-

inquinatus carpere ciuium facinora, & scelera incepit. quæ res cùm vtilis reip. videretur, quòd ob illorum maledicta ciues à malefactis abstinerent, facultas data est; vt interdiu liberè idem agerent; atque his, qui se hac in re exercuissent, hircus, quod tragicorum præmium erat, propositus fuit. Sic à rusticis ad vrbanos poëtas Comœdia transiit: illisque ciuitatis magistratus publicis expensis chorum subministrauit. Quæ res gestæ feruntur belli Peloponnesiaci tempore: quo Atheniensium remp. populo administrãte, Susario, vel (vt alij legunt) Samnyro Rullus, Connis, Magnes, Cratinus poëtæ comici extiterunt. Quas ob res Athenienses Comœdiam suam esse confirmant. At Megarenses tam ij qui sunt in Græcia, quàm ij qui in Sicilia, suam aiunt; tum quia Epicharmus Siculus & Phormus Syracusanus, qui primi rectam comœdiæ speciem inuenisse traduntur, & quam ab antiquis rudem acceperant poliuisse, longè ante Connida & Magnetem fuerunt; tum quia κώμη, vnde comœdiæ nomen defluxit, vox Megarensium propria est. Nam Athenienses pagos δήμους, non κώμας vocant; nec δρᾶν, à quo δρᾶμα deriuatur, sed πράττειν dicunt. Itaque Siculis, qui primi fabulas confingere docuerunt, ortum, cultum, & laudem Comœdiæ adscribunt. Nec quo pacto adoleuerit, æquè de comœdia, atque de tragœdia compertum habemus; quoniam diu neglecta (vt scribit Aristoteles) latuit: quippe cui serò à magistratu, quem ἄρχοντα vocabant, chorus datus est, non propter studium maledicendi, sed quia serius placuit, quàm tragœdia. Est autem

dari chorum, ære publico ſumptum fieri in chorum. cuius numerus cùm ſatis magnus exiſteret & choragi, ac coryphæi artis Muſicæ peritiſſimi non paruo pretio conducendi eſſent, tantis impenſis non ſufficiente poëta, illi pecunia publica ex ærario erogabatur. Nec ætas vna eſt veteris Comœdiæ. Nam ſub Suſarione, cuius nomen inter comicos priſcos primùm celebratur, Comœdia rudis & inconcinna fuit; tum Cratinus partes diſtinxit, & numerum perſonarum definiuit; poſtremò Ariſtophanes eam limauit. In qua, præter hos, quos nominauimus, etiam Eupolis, Crates, Archippus, Plato, Theopompus, Phrynichus, Stratis, Teleclides, Pherecrates floruerunt. Omniũ verò præſtantiſſimi, ſed inter ſe diſſimiles, Eupolis, Cratinus, Ariſtophanes habiti ſunt. Eupolis grauis, & cum venuſtate fictarum perſonarum acerbus; Cratinus acer, & apertus; Ariſtophanes cum riſu mordax. quorum omnium ſcopus vnus fuit mordendi & irridẽdi. Quæ mordax irriſio chori maximè propria tunc coërcita fuit, quando reip. Athenienſium adminiſtratio ad triginta tyrannos redacta eſt; qui iniquo animo ferentes publicè reprehendi, legem promulgarunt, qua omnibus liceret in iudicium eos poëtas accerſire, à quibus iniuria affecti fuiſſent. Eupolidis quoque mors non parum licentiam poëtarum repreſſit: qui ab Alcibiade, contra quem τὰς βάπτας ſcripſerat, in mare præcipitatus eſt imitatus fabulæ ſuæ nomẽ. Hanc comœdiam, in qua non licebat quemquam nominatim reprehendere, mediam appellarunt. quod nomen tunc impoſitum eſt, cùm nouæ comœdiæ appellatio

pellatio

pellatio instituta fuit, vetere posterior, noua prior, sed veteris similior; quoniam παραβάσεις contra poëtas non omiserat, & quasi ius quoddam reprehendendi etiamnum retinens vitia ciuium ἐν αἰνίγματι vellicabat. Quo in genere cum his quos modò memini, etiam præstiterunt Antiphanes, Stephanus, Philippides, Strato, Anaxilas, Mnesimachus, Epicrates, Ambraciota, Nicostrates, & Plato veteris Comœdiæ scriptor. Sed cùm etiam media hæc Comœdia in suspicionem simultatis & odiorum venisset, omnem maledicendi libertatem amisit choro penitus tacere iusso. Itaque Horatius,

Successit vetus his Comœdia nõ sine magna
Laude, sed in vitium libertas excidit, & vim
Dignã lege regi. Lex est accepta, chorusq́ue
Turpiter obticuit sublato iure nocendi.

Tunc igitur fictis argumentis & personis, iocísque & salibus ad delectandum admixtis communem vitam & mores imitari cœperunt Alexandri magni temporibus. Ad quam nouam Comœdiam fabricandam Aristophanis filium Menander & Philemon tamquam regulam secuti sunt. Quamobrem tria Comœdiarum genera traduntur, vetus, medium, & nouum. Differt autem à veteri noua, quòd illa sæpe vera, hæc ficta sumit argumenta; illa mordax maledica salsa ad irridendum & cauillandum ansam ex qualibet re captãs, hæc sine vlla acerbitate festiua est, habens tamen interdum, sed rarissimè, quosdam quasi reprehensionis aculeos, quibus sine contumelia pungit; illa multa carminum genera permiscet, hæc solis iambicis & trochaicis ac ser-

mone magis populari vtitur. nec in easdem partes actúsue distinguitur. Et suos quoque poëtas habuit Diphylum, Philippidem, Posidippum, Apollodorum, Philemonem, &, qui omnium præstantissimus iudicatus est, Menandrum. Apud Latinos quis fabulam primus ediderit, non satis clarum est. Verùm anno ab vrbe condita 400, T. Sulpitio Potito, & C. Licinio Stolone Coss. cùm anno antè ciuitas peste laborasset, è carmine Sibyllino ludi scenici instituti sunt, & ludiones ex Etruria aduocati; quos ea gens histriones appellat. Hi motibus pro ea ætate non incõcinnis, taciti ad tibicinis sonum saliebant: tum rusticos Italos æmulati, qui Græcorum more perfectis sacris rusticana quædam dicta ad risum excitandum in se inuicem iactabant, alternis versibus dictis à Fescenina vrbe Etruriæ fescenninis se ipsos mordere nullum insectantes nominatim (cùm id antè xij. tabulis cautum esset) neque interim obscenis & impuris verbis parcentes. Fescenini deinde sensim è scena abierunt, & fabulæ cœptæ sunt agi, quæ sine vllius offensione placerent. Ac primus Latinis versibus iustæ magnitudinis fabulam more Græco fecit Liuius Andronichus libertus Salinatoris anno ab vrbe condita 514. Appio Claudio Cæci F. Sempronio Tuditano Coss. aliquot annis antequam primum bellum Punicum confectum fuisset; multásque in scribendis Comœdiis in sui studium & imitationem conuertit, Næuium, Plautum, Cæcilium, Ennium, Terentium. Dicta verò est Palliata Comœdia, quæ argumento Græco vtebatur, ac Græcorum more pallium actoribus induebat; cu-

bat; cuiusmodi sunt Terentij, & Plauti fabulæ: Togata verò, quæ ex Romanis rebus argumentum petebat, inducebátque Romanorum more histriones togatos. Et togatarum nobilissima erat prætextata, quæ principum virorum actiones effingebat, dicta à prætexta magistratuum Romanorum indumento. Ac C. Melissus Spoletanus Mæcenatis libertus bibliothecæ in porticu Octauiæ ab Augusto præfectus, quasdam fabulas dedit, (vt est in libello De claris Grammaticis) quas Trabeatas appellauit, aut prætextatis simillimas, aut opinor easdem: siquidem trabea vestis est dignitate prætexta non satis inferior. Illæ autem minus illustres erant, in quibus priuati Senatores cum togis inducebantur. Verùm quæ popularium hominum negotia complectebantur, non à vestitu dictæ tunicatæ, sed à tabernis in scena extructis, tabernariæ, palliatas omninò exprimentes, à togatis rerum & personarum humilitate disiunguntur. At ab Atella Oscorum oppido, Atellana Comœdia vocitata est, tota dicax, & iocosa, quandam Satyricæ imitationis habens similitudinem: quæ in ipsa verborum acerbitate nihil præter risum aucupabatur, & fescenina carmina plena iocis petulantioribus inter actus inserebat. Addunt aliqui Rhyntonicam à Rhyntone Tarētino quodam histrione, aut poëta (si is est cuius meminit Athenæus libro tertio) nominatam. Ceterum planipedes fabulas aliqui arbitrantur eas esse quæ ob argumēti humilitatem neque cothurno, neque socco vtebantur, sed earum actores plano pede incedebant. Alij Mimum, & Planipedem idem esse putant. Mimus

autem est rerum vilissimarum & leuium personarum crebra imitatio. Alij sic appellatas existimant, quia non in scenæ suggestu, sed in plano agebatur. Alij non modò mimos, Satyras, & Comœdias, verùm etiam eas tragœdias planipedes appellant, quæ neque aguntur in proscenio, neque cothurno, neque socco, neque vllo calciamenti genere vtuntur. Mihi placet appellare planipedem fabulam, non quæ humi sine ædificiis, sed quæ nec cothurno vt tragœdia, nec socco vt Comœdia, sed nudis pedibus agebatur. Adhæc quædam Comœdiæ dicuntur motoriæ, siue turbulentæ & negotiosæ; in quibus res sunt magis perturbatæ; vt Adelphi, Phormio, Heautontimorumenos; contrà quædam Statariæ; cuiusmodi Pseudolus, Trinummus, Hecyra, & Asinaria est. Addunt aliqui medias, quæ vtriusque generis participes sunt. Atque harum aliæ plus quietis, vt Aulularia; aliæ plus habent motus, vt Eunuchus. Illa verò in veteres Andronichi, medias Pacuuij, nouas Terentij non à rerum natura, sed à dictionis stylo, & tempore ducta diuisio est. Nos eam rationem Comœdiæ trademus quæ vsitata est; quámque præstantissimi poëtarum maximè obseruarunt.

De notatione, & definitione Comœdiæ.

CAP. XIII.

COMOEDIAM *nonnulli ex* κωμάζειν, καὶ ᾄδειν, *vel* ἐν ταῖς ᾠδαῖς *interpretantur, ex cantilenis, quæ post comissationes canebantur.* κωμάζειν *est*

ζειν est lasciuia efferri, petulantem esse, carminibus, saltationibus, & comissationibus indulgere: ᾄδειν Latinè canere: ἐν ταῖς ῥόδοις in viis significat. Nam rusticorum iuuenum in vnū coacta multitudo post rem sacram, vel conuiuia, negotiis diurnis animo soluto siue heri, siue parentis metu tempesta nocte in viis exultando sese, & alios probris maledictísque petebat. Aliqui παρὰ τὴν κώμην, καὶ τὴν ᾠδὴν appellatam volunt, quia in vicis & pagis ageretur. Vtramque nominis interpretationem docti homines commendant: sed priorem Athenienses, Megarenses alteram magis probant. Finitur autem à quibusdam ἰδιωτικῶν καὶ πολιτικῶν πραγμάτων ἀκίνδυνος περιοχή. Quam definitionem reprehendunt ij qui negant esse comœdiam absque periculo. Verùm ego illos puto ἀκίνδυνον περιοχὴν dixisse, non quia res comicæ nullo in periculo versentur, sed quia exitus fabulæ securitatem consequitur: licetq́; serui, lenones, aut huiusmodi personæ aliqua postremò damna patiantur, non tamen eæ sunt in quibus vniuersum fabulæ negotium vertitur. Nec infitias eo lætum exitum Comœdiæ aliquo dolore quandoq. perfundi, vt Asinariæ, Mostellariæ, Phormionis, Casinæ, Persæ, non secus ac finis tragœdiæ, qui ex se tristis est, interdum aliqua lætitia permiscetur: nihilominus si fabulæ naturam, & frequentiorem vsum aduertas, vt Tragœdiam mæstus, sic Comœdiam exitus hilaris magis decet, atque vt in tragœdia non est sine discrimine lætitia, sic in Comœdia non est sine festiuitate discrimen. Mox reprehendunt, quòd ciuilis & priuatæ fortunæ comprehen-

ſionem eſſe dicant, quando principes viros veteres comici vexarunt, & primarios reip. homines prætextatæ recipiunt. Verùm eæ perſonæ ſi priuatæ non ſunt, ſunt tamen ciuiles. Omnes enim Athenienſes, & Romani ciues dicebantur: apud quos nullus erat dominatus, ſed æqualitas legum, vtilitáſque communis. Attamen ad tragœdiæ definitionis normam ſi dirigatur, meliùs & propriùs definiri ſic poterit: Comœdia eſt poëſis, quæ ad docendum vitæ conſuetudinem ciuiles & priuatas actiones per agentes perſonas non ſine iocis & ſalibus imitatur. Carmen non addidi, quia imperfecta eſt ſine carmine poëſis. quamquam Crates primus dicitur Athenis ſoluta oratione Comœdiam ſcripſiſſe. Cur igitur ſi ciuiles actiones imitatur, & carmen habet, Horatio non erit poëſis? An iſto nomine dignam eſſe non duxit, quia rerum magnificentiam non haberet? quaſi rerum grauitas, & amplitudo poëſim efficiat, non imitatio, & carmen. Iam ciuiles & priuatæ actiones ab epopœia, & tragœdia comœdiam ſeiungunt: & agentes perſonæ adhuc magis ab epopœia ipſam diſtinguunt: ioci verò & ſales etiam magis à Tragœdia. quippe illa terrorem & commiſerationem: hæc riſum & lætitiam parit. Saltationem & cantum prætermiſi, tum quia chorus, penes quem iſta ſunt, nullus amplius eſt; tum quia etiam extra ſcenam nihilo minus eſt, dum legitur Comœdia. Poſtremò finem eius oſtendimus, humanæ vitæ doctrinam, & imaginem eſſe.

De forma Comœdiæ.
CAP. XIIII.

ATQVE *in Comœdia sunt eadem spectanda, quæ in tragœdia, fabula, mores, sententia, dictio, & apparatus; melodia excepta, quæ in noua Comœdia nulla est; nempe in qua nullus est chorus. Fabulam dico, non δρᾶμα (quod antea monui) sed ipsam imitationem, imitationísue figuram. Fingit autem comœdia rēs non portentosas, quales in epopœia frequenter narrantur, & in tragœdia interdum ostenduntur, non tragicas, hoc est, horrificas & luctuosas, non illustres & graues epopœiæ, pariter & tragœdiæ proprias, sed ciuiles & priuatas, captans vbique lepores & festiuitates. Itaque amores, lusus, conuiuia, ebrietates, dolos, furta, & huiusmodi alia comminiscitur. Hinc è pagis sumit Chremetes, & ex humili loco Thaides, & Dauos: in vniuersum vulgares, & populares homines inducit, quorum nomina rebus apta confingit. Regias personas numquam admittit: induxit Plautus in Amphytrione; tamen eam tragicocomœdiā appellauit. Sed & vetus comœdia præter dignitatē superos adhibuit. atqui hoc illorum religioni detur. Verùm enimuerò personas, quas imitatur, nec ita probas effingat, vt perturbari, decipi, errare non poßint; nec vndiq. improbas, sed eius modi, quales humana ætas & coditio ferre solet: ac ridiculas iocorū & facetiarū gratia sine vllius damno deformes & turpes adhibeat. tū cōtentiones, & rixas vt plurimū inter amicos, aut inter cōsanguineos et propinquos excitet,*

quo

ratius scribit. Et Volcatius, opinor, ridiculorũ gratia secundum à Cæcilio locum inter comicos Plauto tribuit, Terentio postremum: quia dum nitori & munditiæ studet orationis, minus festiuus & lepidus est. Atque hanc eandem ob causam existimo Philemonem Menandro prælatum fuisse: si talis fuit Menander, qualis Terentius habetur æmulus, & imitator Menandri. Verùm doctissimorum hominum iudicia longè alia fuere, & æquiora; qui rerum naturam grauiore ratione perpendunt, non multitudinis sensu. De ridiculis, quæ deformia quædam sunt dicta vel facta sine dolore, nouitate, & admiratione animum iucundè mouentia, nihil à nobis dicetur, quoniam de illis à dicendi præceptoribus copiosius disputatum est. Et quæ de vnitate fabulæ, & episodiis in tragœdia tradidimus, nullo hic pacto repetentur. Illud verò iam monuimus, Comœdiam in exprimẽdis moribus potissimè versari, ac tragicos illos affectus, &, vt verbo Græco dicam, πάθη horrere; tum vel simplicem esse sine agnitione, & peripetia, vt Plauti Asinaria; vel connexam aut sola agnitione, vt Hecyra Terentij; aut sola rerum inopinata mutatione, vt Miles gloriosus, aut vtraque simul vt Andria: ac connexam simplici anteponi, & eam fabulam omnium optimam iudicari, quæ ex agnitione & peripetia connectitur. Et licet apud Latinos aliæ dicantur motoriæ, aliæ statariæ, aliæ mixtæ; & motoriæ statariis, & mixtæ omnibus præferantur; tamen, vel motoria, vel pstataria, vel mixta Comœdia sit, aliquo horum, quæ recẽsuimus, fabularum genere contineatur necesse est. Denique

omnium

omnium comœdiarum exitus trãquillus & iucundus est. Et quãuis sit aliquando turbulentus, non est tamen illa sine festiuitate turbatio. De moribus & sententia tam alibi satis: de dictione solùm hoc dicam; eam neq. ita grãdem vt tragica; nec demissam, vt mimica, sed temperatã, & suauẽ esse debere, puram, & elegantẽ, vestitamq́; simplici & mediocri ornatu: attolli verò cũ aut grauior inest persona, aut dicentẽ ira exagitat. quemadmodũ Horatius scribit,

Interdũ tamen & vocem Comœdia tollit,
Iratúsque Chremes tumido delitigat ore.

præterea breuiorem, & magis concisam esse, quàm Tragœdiæ; ac sententias rariores aspergere, eásque maximè, quæ in cõmunione vitæ positæ sunt, & ad vulgarium hominũ opinionem accommodatæ, atque in frequentiore vsu habitæ. quo in genere prouerbia siue adagia censentur. deniq. sonum refugere; ideoq. iambicos pedes (nam hoc carminis genere vtitur: quamquam interdum trochäicũ admittit; quod spatiis æquipollet iambico) dissoluere, & locis paribus, quæ tantùm iambo & tribracho debẽtur, vel dactylum, vel spondeum, vel anapæstum collocare, semper tamen postremam sedem occupante iambo. Quæ dissolutio pedum à tragœdia neglecta fuit, quia carminis grauitatem remitteret; nec à Græcis, qui diligentissimè carminum leges obseruarunt, sed à Latinis vsurpata vel inertia & desidia, vel ne insurgere ex cõmuni sermone nimiùm videretur oratio. Atque vt dictio rebus, sic apparatus personis conuenire debet. de quo plerique multa scripsere. De melodia mox dicetur.

De par-

De partibus Comœdiæ.
Cap. XV.

TOTIDEM *quoque sunt, & eadẽ partes Comœdiæ, quot & quæ sunt Tragœdiæ, Prologus, Exodus, Episodiũ, dempto in noua comœdia Chorico. Prologus (vt dictum est) summam rei explicat: Exodus fabulam dissoluit. inter quæ locus episodiis & digreßionibus aptus Episodium nominatur. De chorico pauca dicenda sunt, quæ ad comœdiã magis facere videbuntur. Atque Archontes quidã primus comicum chorũ in scenam induxisse fertur vigintiquatuor personarum, distinctum in certa paria cõstituta ex quaternis; quæ* ζυγὰ *appellantur. Cuius ad scenam acceßio* πάροδος *dicta est; quo tempore* προσόδιον *canebat; ingressus verò* εἰσόδιον; *hic causam dicebat, cur adesset. Tum aut stans cantabat,* στάσιμον; *aut narrabat rei euẽtum; aut statim reuertebatur, & extra exibat, cui rei nomẽ erat* μετάστασις. *sin rursum ingrediebatur,* ἐπιπάροδος: *si inde prolixiùs saltabat,* κόρδαξ: *sin præcisiùs,* κομμάτιον *vocabatur. Chori* μέλος *dicitur, in quo loquitur de re ipsa: cùm verò à proposita materia orationem ad spectatores conuertit,* παράβασις. *cuius partes septem traduntur,* κομμάτιον, ἀναπαιστικὰ, μακρὸν, στροφὴ, ἀντίστροφος, ἐπῳδὸς, *siue* ἐπίῤῥημα, & ἀντεπίῤῥημα. *Est chorus simplex, vbi sine motu, sine parauasi, aut epirrhemate canit: est compositus ex his: demùm eius è scena deceßio* ἄφοδος *nominatur, quando* ἐξόδιον *modulabatur. Quas leges, cùm abolitæ iam sint, malo ex commentariis Aristophanis, & ab aliis scriptoribus peti,*

quàm

quàm à me declarari. Alij alia ratione comœdiam in partes quatuor, quemadmodum & tragœdiam, in Protasim, Epitasim, Catastasim, & Catastrophen distinxerunt: Sed his quoque Prologum seu Prologium adiunxerunt. Verùm his Prologus est ea oratio quæ ante legitimam fabulam ad spectatores habetur: qua vel poëta commẽdatur, vel respondetur aduersariorum obiectionibus, vel argumentum fabulæ exponitur, vel hæc omnia simul aguntur. Vnde prologi quatuor genera statuerunt, συςατικὸν, vt est illud Hecyræ; ἀναςροφικὸν vel ἀναφορικὸν, vt Andriæ; ὑποθετικὸν, vt Aululariæ; μικτὸν. Et sicut postrema illa verba, Valete vos, & plaudite, non ab actore aliquo dicuntur, sed apud Plautum à grege, apud Terentium à Calliopio (non enim actores spectatores alloquuntur, ne non quasi seriò agi fabula videatur) non aliter prologus qui ad spectatores confertur, ab ea persona recitatur quæ nullum habet cum fabula negotium. quamquam more suo apud Plautum Mercurius & prologum habet, & magnam fabulæ partem absoluit. Quamobrem iste prologus à Latinis solùm vsurpatus, à Græcis aut ignoratus, aut neglectus, qui & addi, & demi poëtæ arbitratu potest, comœdiæ pars necessaria nullo modo est. Quòd si prologum fabulæ partem vis, cur non etiam argumentum facis? totius inquam fabulæ breuem comprehensionem? quod tunc adhibetur, cùm neque in prologo, neque in protasi fabula explicatur. Protasis prima, & legitima fabulæ pars est: quæ etsi fabulæ summam exponit, non tamen finem ostendit, vt ex inopinato exitu fabula iucundior ex-

dior existat. Et licet ex argumento rerum ordinem teneas, tamen illa breui indicatione non tam animus expletur, quàm inflammatur. Epitasis est earum rerum quæ in protasi continentur, incrementum. In Catastasi res magis perturbantur. Catastrophe fabulam expedit res in meliorem fortunam commutans. Alij comœdiam pariter ac tragœdiam in actus quinque distribuerunt: qui non facilè discernuntur, vbi nullus est chorus: & illos ait Donatus interdum dedita opera confusos, ne spectator antè exurgeret, quàm aulæa tollerentur. Tu tunc absolutum actum putato, cùm actores è scena ita cessisse creduntur, vt solùm choro canendi locus datus esse videatur. Pro quo tibicen nunc actus intersecat, tum vt spectatores oblectet, tum vt ne qua cessatio in theatro exorta credatur. Atque interdum mimi inserebantur, & ipsi quandoque actores risus gratia extra fabulam aliquid effundebãt, quod episodium suprà diximus appellari. Tibiarum aliæ pares, aliæ impares, tum dexteræ & graues, tum sinistræ & acutæ, sic quibusdam dictæ à lateribus, vnde inflarentur. illarum vsus est in rebus seriis, harũ in iocis, vtrarumq. in mixtis. Illis Romani quia essent graues, his barbari quia acutissimæ, in funeribus vtebantur. Et apud veteres quoque dexterarum sonum acutum, sinistrarum grauem fuisse accepimus. Quapropter nonnulli Comœdiam in diuerbia, seu scenas, in quibus actores versantur, & cantica distinxerunt: sed cantica cùm ad musicam artem tota pertineant, non video qua ratione fabulæ partes constituantur. Actus in scenas diuiditur, ac

rarissimè

rarissimè vna tantùm scena perficitur: quod tragœdiæ aliquando contingit. Scena alicuius personæ vel discessu, vel aduentu internoscitur: eiúsque initium quandoque ab omnium, quādoque ab vnius tantùm personæ ingressu accipitur; quæ deinde in aliam quampiam personam incurrit: sic etiam aliquando omnium, aliquando vnius solùm decessione finitur; ita vt si tres fuerint, duæ, quæ relinquūtur, scenam constituant. Quòd verò monent, cùm sint quinque actus, in eodem actu singulis personis non licere plus quinquies exire, si fortè in tragœdiis, in quibus & pauciores & grauiores personæ sunt, at certè in comœdiis minimè obseruatū est. Præterea scenarum numerum decē, & actorū quatuordecim fabularum quidam magistri & artifices præscripserunt. Sed ne longior in his sim, quàm res postulet, partitiones comœdiæ paucis inter se cōferamus. Protasis siue prologus is, qui legitima comœdiæ pars est, actu primo, interdū quoq. secundo continetur. epitasis & catastasis facultatē habent episodij, ac secūdo & tertio, aliquando etiā quarto actu cōcluduntur; rarò quintum Catastasis attingit. Catastrophe, in qua exodus est, partē quarti; quandoque totum quartum: at quintum semper cōplectitur. Et, vt de singulis quoque actibus loquamur, vt intelligantur ea quæ potissimùm in vnoquoque eorum fieri solēt, actus primus argumentum fabulæ exponit; secundus res in argumento contentas in actionem deducit; tertius impedimēta & turbationes affert; quartus modum & viā aperit, qua res implicitæ dissoluantur; quintus res implicitas artificiosè dissoluit.

Tragœdia & Comœdia inter se conferuntur; quidq́ue sit Tragicocomœdia explicatur. CAP. XVI.

ERGO *tragœdia grandiores actiones fingit, & personas; quas tamen sæpius ab aliis mutuatur; comœdia verò humiliores; quas ex se comminiscitur. Tum illa sublimi oratione cothurno innititur, hæc attenuato sermone socco ingreditur; illa sententiis grauis, hæc est ridiculis iucunda; illa vehementiores affectus, hæc leniores exprimit; illa mæsto, hæc læto fine concluditur; illa magnatum vitam fugiendam, hæc ciuilem, & priuatam optandam ostendit. Attamen vtraque in agendo, non in narrando posita est; atque eundem habet imitandi modum; & eodem temporis spatio terminatur; totidem quoque partibus, iisdémque cōponitur. Quamobrem tragœdia & rerum grauitate, & orationis sublimitate comœdia præstantior est: comœdia verò, vt quæ rationem viuendi magis imitetur, tamquam speculum consuetudinis, & imago veritatis à Cicerone commendatur. Est præterea quoddam genus poëmatis ex vtroque mixtum, quod Tragicocomœdiam vocant. est autem ea nihil aliud, quàm comœdia grauiores personas adsciscens. quod Plautus in Amphitruonis prologo videtur significasse illis versibus,*

Faciam vt commixta sit Tragicocomœdia.
Nam me perpetuò facere, vt sit comœdia,
Reges quo veniant, & Dij, non par arbitror.

aut est tragœdia, sicut aliqui volunt, quæ exitum

comœdiæ iucundum inquam, & tranquillum sortitur. Semper autem finis tragicocomœdiæ lætus est. cuius non sanè alia dabuntur præcepta, quàm ea quæ tradita sunt. An verò vt tragicocomœdia, sic etiam fieri possit comicotragœdia, quæ miserabilem exitum habeat, si quis ex me quærat, quoniam humilium personarum calamitas minus mouet, nec istiusmodi fabulæ vlla exempla cernuntur, non equidem facile affirmauerim. Sed ne cuipiam fortè videar rerum nouarum curiosus inuestigator, ad reliqua poëmatum genera quæ supersunt declaranda pergamus.


IO. AN-



IO. ANTONII VIPERANI DE POETICA

LIB. III.

De Satyris. CAP. I.



ED de Satyra quidem, & Mimo dicendum mihi prius videtur, quàm reliquorum generum tractationem persequar. Nam ad Tragœdiæ seueritatem mitigãdam introducti sunt Satyri, & ad Comœdiæ hilaritatem excitandam mimi. vnde mimus & Satyra profluxerunt. Sanè quos Græci Satyros, vel Tityros, vel Silenos, aut Panes, Latini Faunos, Siluanos, atque Incubos appellant. Dicti autem Satyri vel (vt Aelianus sentit) παρὰ τὸ σεσηρέναι, quoniam sunt dicacissimi; vel à salacitate, παρὰ τὸ σάθυ. Sic enim veteres salacitatem nuncuparunt. Tityri verò vel (vt idem inquit Aelianus) à lasciuis cantibus & procacitate, quæ Græci vocant τερετίσματα, vel quoniam salaces sunt, sic dicti à capra, quæ ab Aeolensibus tityrus dicitur, nihil est enim capra salacius. At Sileni παρὰ τὸ σιλλαίνειν, quod est per iocum mordere. Verùm Pan quasi rerum vniuersitatem complectens in similitudinem naturæ formatus est. Nam est illi vultus ruber, qualis est æther; &

cornua radiorum loco, quibus inter omnes cælestes ignes solem tantùm, & lunam armatam videmus; tum nebris stellata in pectore sidera; pars inferior hispida virgulta, arbores & feras; caprini pedes soliditatem terræ; fistula cælorum harmoniam & concentum; pedum recuruum in se ipsum se conuertentem annum significat. Quos Satyros Plinius tradit animalia esse pernicissima in subsolanis Indorum montibus (quæ regio Cartadulorum dicitur, tum quadrupedes, tum rectè currentes humana effigie, propter velocitatem nisi senes aut ægros non capi; eosdémque à veteribus pro Diis siluestribus habitos fuisse, creditos à quibusdam semideos, quòd hominibus naturæ conditione præstantiores forent, Diis inferiores; quia post longum tempus aliquando morerentur. Et D. Hieronymus B. Antonium eremitam refert vidisse homunculum aduncis naribus, & fronte cornibus aspera; cui extrema corporis in caprarum pedes desinebant: & interrogatum, quisnam esset, respondisse, Mortalis ego sum vnus ex accolis eremi, quos vano errore delusa gentilitas Faunos, Satyros, & Incubos appellat. In Dionysij verò, seu Liberi patris, vel Bacchi (idem enim Deus his nominibus notabatur) festis & ludis admiscebantur; quoniam illum per multas regiones lusu & tripudiis comitati fuisse dicerentur. Ac prodibant cum lancibus & canistellis omni genere pomorum plenis; quibus nymphas allicerent: contum etiam gestabant, & thyrsum contectum hedera, quo incautos occulta cuspide ferirent: atque id generis venabula

ferebant,

ferebant, quibus in exercitu Dionysij depugnasse credebantur, θυραῖα διονυσιακὰ nominata. Eorum ornatus erat ἀμφίμαλλοι χιτῶνες, hoc est, vtrimque villosa indumenta: vnde velut tacitis ambagibus plantandi artem & constipationem palmitum denotari existimant· cuius auctorem Bacchum esse testantur. Pellis aut hinnuli erat; quæ quia sine rugis tota corpori aßidebat, ἰζάνη nuncupata est; aut capræ; quam propterea αἰγὴν & τραγὴν appellarunt. Qui comptiores videri volebant, ceruina pelle, vel panthera; qui verò milites Dionysii, militari sago & tunicula punicea, induebantur. At Liberi patris vestitus pro ratione personæ diuersi coloris erat, florida lænula, pilosa tunica, puniceum vestimentum.

Quo pacto Satyri primùm in Tragœdiam immißi, deinde exclusi fuerint.

CAP. II.

TRAGOEDIA *vt acerbitatem suam & tristitiam hilaritate aliqua & risu temperaret, Satyros induxit; qui ingenio miti, bibaces, illoti, petulantes, dicaces, lasciui & procliues à natura ad libidinem iocis atque facetiis spectatorum tristes animos interdum recrearent, & à seueritate & mæstitia ad festiuitatem & iucunditatem traducerent. Atque eo liberius id tunc factum opinor, quoniam argumenta fabularum non erant tunc omnium luctuosa; & fabulæ in Liberi festis agebantur;*

bantur; quo tempore in omnibus ſcenis & ſpectaculis Satyri tamquam numinis illius ſocij & miniſtri inſerebantur. Nec piget in hanc rem Horatij carmina referre:

Carmine qui tragico vilẽ certauit ob hircũ,
Mox etiã agreſtes Satyros nudauit, & aſper
Incolumi grauitate iocum tẽtauit, eo quòd
Illecebris erat, & grata nouitate morandus
Spectator, functúſq. ſacris, & potus, & exlex.

Quæ quidem actio Satyrica ſolùm choro conſtabat, & per ludum ac iocum canendo Satyri ad pungendum verſus quaſi aculeos emittebant; quóque expeditiores eſſent, nudi cum choro ſaltabant. Qui ex Tragœdiæ finibus vnà cum iocis & ſalibus (vt grauiſsimus teſtis eſt Ariſtoteles) Sophoclis tempore excluſi fuerunt, aſſerentibus grauiſsimis hominibus tragœdiam dumtaxat heroum calamitates & infortunia recipere debere, quo amplius ſpectatores terrore & cõmiſeratione permoueat. Quocirca neque Satyram tragœdiæ partem puta, neque è Satyra ortam eſſe tragœdiam; ſed ad leniendam aſperitatem tragœdiæ olim Satyros admiſſos fuiſſe. vnde fabulam Satyricam profectam eſſe exiſtimo.

De fabula Satyrica.

CAP. III.

QVÆ *humilior Tragœdia eſt reges & heroas, maximè verò è ſua maieſtate diſturbatos, & ex magnificis tẽplis & vrbibus ad ſiluas & agros ab aduerſa fortuna deiectos inducens: qualis eſt*

apud Euripidem illa (neque enim exemplum aliud extat) quæ Cyclops inſcribitur: in qua Vlyſſes tempeſtate in Siciliam iactatus, ad ſilueſtres homines, Satyróſque deuenit. Quo in genere Platinas Phliaſius apud Græcos primus ſcripſiſſe dicitur. Ac ſanè fabulæ Satyricæ argumĕtum perinde ac Tragœdiæ vt plurimum notum erat ex veteribus monumentis fabulíſque deſumptum. Satyricæ autem perſonæ ex ipſa appellatione diuerſæ, vt refert Pollux, ſunt; Satyrus canus, ſatyrus pubes, ſatyrus impubes, Silenus Bacchi pædagogus & alumnus; quem aſino vehi ſolitum narrant poëtæ; Pappus, & ex vtroque tamquam mulus Pappo-Silenus, fero aſpectu atque terribili: qui peruncti (vt quidam volunt) fæcibus ora tamquam agreſtes homines prodibant in ſcenam frondeam, arboribus conſitam, fontibus amœnam; & circa ſaltationes, potationes, conuiuia, & dicacitates ipſi mordaces, bibaces, hilares & iocoſi verſabantur. At ſermo purus & ſimplex ſine vlla turpitudine, quæ honeſtas aures offenderet, ſatyros decebat, & cum dignitate hilaritas, & ſine ſcurrilitate dicacitas; Heroum verò ſermo quadam cum grauitate temperatus, neque ita ſublimis, vt nubes captare (etenim fortunæ immutatio dicendi quoque rationem immutat) neque ita demiſſus, vt è tabernis emigrare videretur: nihilominus heroum & ſatyrorum mutua collocutione fiebat, vt illorum oratio humilior, horum grauior appareret. Quibus de rebus Horatius,

Verùm ita riſores, ita commendare dicaces
Conueniet Satyros, ita vertere ſeria ludo;

 Ne, qui-

Ne quicumque Deus, quicumque adhibebitur heros
Regali conspectus in auro nuper & ostro,
Migret in obscuras humili sermone tabernas,
Aut dũ vitat humũ nubes, & inania captet.

Ac paulò post,

Siluis deducti caueant me iudice Fauni,
Ne velut innati triuiis ac pæne forenses
Aut nimium teneris iuuenentur versibus vmquam,
Aut immunda crepent ignominiosaq; dicta.

An Comœdia Satyros habuerit.
CAP. IIII.

EX qua satyra nonnulli putant veterem Comœdiam productam esse; quidam alij non productam, sed in eam satyros admissos fuisse comicæ procacitati satis opportunos; plerique non in veterem Comœdiam eos, sed in mediam inductos; vt cùm nominatim reprehendere vitia non liceret, illa satyri clam, & per iocum carperent. Aliqui non receptos satyros à Comœdia, sed nouam quandam rationem ad delectandum quæsitam esse: qua dum aliud agere viderentur, Satyrica irrisione improborum hominum mores & vitam insectarentur. Quamobrem Donatum existimo mediam Comœdiam Satyræ nomine appellasse. Nonnulli arbitrãtur apud Latinos primum quasdam satyras perbreues & ad iocandum & maledicendum comparatas

ratas fuisse; post Liuium Andronicum iustæ magnitudinis fabulam dedisse. Verùm neque ex vllius viri grauis authoritate, neque ex vllo exemplo res nobis liquere potest.

De Satyra Latinorum.

CAP. V.

SEd è scena satyris exclusis Latini tamen eorum maledicendi licentiam retinuerunt: qui nouam quandā reprehendendi formam excogitarunt haud nimium ab illa irrisione satyrica discrepantem. Nam sola narratione contenti vel nominatim plerosque mordebant. Quam libertatem posteriores sibi ademptam fuisse conquesti sunt; quòd nomina fingere cogerentur, aut nota & vsitata accipere, in quibus alios reprehenderent. Et cùm iambis vterentur primò (siquidem & Lucilij & Varronis satyræ quædam legebantur hoc carminis genere conscriptæ) Lucilius deinde iambos in hexametros versus commutauit; quoniam hoc carmen narrationi satis accommodatum esset. Quam reprehendendi formam ab irrisione satyrica deriuatam Satyram quoq; nominarunt: quamuis aliqui à satietate, aliqui à lege satyra, aliqui à saliendo dictam existiment. Hāc satyram ignorarunt Græci, Latini totam asserunt suam. De qua loquens Quintilianus, satyra, inquit, tota est nostra: in qua primus insignem laudē adeptus est Lucilius. Huius autem satyræ proprium est vellicare & pungere, &, quod maximè Horatius facit, ridendo rodere. Quamob-

rem in ſatyris Latinis ex veteri comœdia iudicium habendum eſſe plerique ſenſerunt. Amat ironias, ſiquidem clam, & cum riſu mordet: amat argumentorum varietates, nam inſtar ſatyri capripedis huc & illuc abſque ordine & modo volitando exultat, vnde ſatyram aliqui putauerunt à ſaliendo dictam fuiſſe. Hic vberem inuentionem poſco, hic frequentes & acutas ſententias laudo, hic reprehẽſionis vim & acrimoniam deſidero: placet acumen dicendi, facetiæ, vrbanitas. Ardet Iuuenalis, inſultat Perſius, irridet Horatius. Illi ſatyras, hic, quaſi cum præſentibus loqueretur, ſermones, & quaſi cum abſentib. ſermo eſſet, epiſtolas inſcripſit. Præſertim verò ab omni fœditate rerum & verborum ſatyricus poëta abeſſe debet, ne dum animos purgare à ſordibus velit, turpioribus maculis inquinet. Atque hic eſt ſatyræ finis (nam ad vitam rectè inſtruẽdam tota comparata eſt) à vitiis reprehẽſionum ſtimulis abſterrere: quos vt æquiore animo excipias, iocis & riſu illinit. Ideóque Perſio abſtruſam illam & penitus reconditam eruditionem obiiciunt; qui intelligi minus curauit, dum aliorum mores & vitam ad virtutem & honeſtatem informaret. Iam ſatyræ dictio ſermoni proprior eſt, tenuis & humilis ac de medio ſumpta, puritatem verò ſeruans, & mollioribus ac remiſſioribus numeris verba coniungens. In vniuerſum ſatyra puritatem & elegantiam in verbis, acumen in ſententiis, in verſibus aptam compoſitionem, in acerbitate iocum retineat. Cuius quidem partes, quæ ad certum numerum diducantur, nullæ ſunt. Nam,

modò

modò aliquid dicat, sus déque decurrit; interdúmque insinuatione, qua in animum auditoris commodius penetret; ac sæpe abrupto & concitato principio vtitur; vt stomacho in initiis commoto acriùs deinde peruellat. Et licet abrupta principia sint, ad totius tamen corporis cohærentiam pertinere debēt: semperq́ue loco exordij aliquid esse necesse est, quod ad ea quæ sequuntur, facilem comparet beneuolumq́ue auditorem. Atque illo principio Horatius,

Quî fit Mæcenas, vt nemo quam sibi sortē
Seu ratio dederit, seu sors obiecerit, illa
Contentus viuat, laudet diuersa sequentes.

id proponit, quod, vbi longa exemplorum enumeratione probauit, aptè concludit. Sit ne verò isthæc Latinorū satyra poësis, cùm ad nullā imitationem spectet, ac res varias & diuersas complectatur, equidem ipse dubitauerim; nec pluribus repugnauerim, si secus alij senserint.

De Mimo. Cap. VI.

CEterum quod ex Tragœdia satyra, hoc est ex Comœdia mimus. Nam sublato choro actus tibiis distingui, & interdū actores festiuitatis gratia ridicula quædam iactare cœperunt; quod suprà diximus Episodium vocari; tum mimi inter actus admissi sunt à nimio motu corporis & gestu sic dicti: qui & saltabant, & sordida quædam effingebant, nihílque non imitabantur quo ridiculi fierēt. Quæ res cùm mirum in modum placuisset, ex suo postmodum artificio extra comœdiam laudem quærere

rere voluerunt: factúmque est poëma, quod Mimum appellarunt. Quo in genere Publius quidam, & Laberius excelluerunt. Porrò mimicæ personæ sunt è foro, è tabernis, ex angiportis caupones, coqui, meretriculæ, & id genus aliæ, quæ res vilissimas, & varias imitantur: dictæq́; sunt planipedes (vt antè docuimus) quòd nudis pedibus incederent. Tradũt nonnulli mimos fuligine tinctos & agninis pellibus amictos canistros gestare serpyllo, violis, hedera atque aliis floribus plenos, & ad numerum saltare, & procurrentes obuium quemque subsannare solitos fuisse; atque Ithyphallis, de quibus antea dictum est, simillimos. Est igitur mimus ridicula poësis ad excitandum risum quoduis genus imitans actionis. Sed egimus de his sanè pluribus, quàm necesse esset: quoniam illorum cognitio satis obscura, parúmque ad rem vllam vtilis est.

De Bucolica poësi.

CAP. VII.

ACcedit Bucolica poësis, rusticana quædam comœdia: siquidẽ personas humiles vtraq; confingit, sed elegantiores Comœdia, quæ vrbanæ vitæ imaginem & similitudinẽ depingit; rudiores Bucolica, quæ rusticos homines & agrestes imitatur. Ad hæc agẽdo est comœdiæ quandoque consimilis; cùm pastores in scenam, quæ ex frondibus fiebat, agentes & dicentes inducit: vbi adest interdum persona poëtæ vel principij tamquam prologus, vel finis loco: velut ille Calliopius apud Terẽtium; qui postremis

illis verbis Valete vos, & plaudite, actam esse fabulam denuntiat. Atque aliquando ex poëtæ persona cuncta enarrantur. Nonnumquam etiam mixtum quoddam fit ex actiuo & narratiuo genus. Narratiui est,

Prima Syracusio dignata est ludere versu.

Actiui,

Tityre tu patulę recubans sub tegmine fagi.

Mixti,

Pastorum musam Damonis & Alphesibœi.

Quibus imitandi modis aliquã cum cæteris poëticæ generibus similitudinem & cognationem habet. Eius tamen origo incerta est. Nam aliqui Apollinem nomium, quando pauit Admeti regis armenta; aliqui Mercurium, cùm pastor fuit; nonnulli eius filium Lauretum; quidam Pana, quem eũdem pastorum Deum, & principem habent, bucolici carminis inuentorem existimant; quod Virgilius quoque videtur sensisse, dum inquit,

Pan primus calamos cera coniungere plures
Instituit.

Sunt qui repertum opinentur eo tempore quo Xerxes Græciam inuasit. Tunc enim in siluis & montibus, quibus se metu abdiderant, Lacones rustici inceperunt de Diana Caryatide à Laconiæ vico Caria sic dicta versus canere; cuius sacra intermissa iam fuerant quæ à virginibus fieri consueuerãt. Cõtrà aliqui longè antè asserũt: & quoniam lingua dumtaxat Dorica scriptum est, vel in Peloponneso, vel in Sicilia inuẽtum confirmant. Quin immo Siculi vt Comœdiam, sic etiam bucolicam sibi vindicant, fe-

cant, ferúntque Oreſtem è Scythia Dianæ ſignum ſecum deferentem in Siciliam tempeſtate fuiſſe delatum, & in pago quem Tyndaridem vocant, illud collocaſſe, nautiſque ſimul & paſtoribus conuocatis feſtum diem inſtituiſſe, quo Deæ laudes carminibus celebrarent; eandemq́ conſuetudinem ruſticis hominibus deinde permanſiſſe. Alij produnt ante Hieronem, cùm inſula graui morbo laboraret, ad leniendam iram cæleſtium ludos fuiſſe per agros inſtitutos, quò liberioris & purioris aëris gratia ſeſe contulerant. Dianam verò poſtmodum Luam appellatam, quòd morbum luiſſet. Alij Syracuſis inteſtinis odiis pæne diuulſis, & à mutua cæde ſobole viduatis decretum fuiſſe, vt Dianæ numen tamquam huius mali cauſa placaretur: quam agreſtes homines donis & cantilenis mitigarunt, atque inde Lyam ἀπὸ τοῦ λύειν vocauerunt. Alij non Luam, ſed Phaſelim nominatam docent, atque hoc nomen in Siciliam ab Antiphemo importatum: quamquam ſignum illud Dianæ, quod attulit Oreſtes, hoc nomen habuiſſe legi apud nõnullos. Is porrò Antiphemus in Siciliam coloniam deduxit, ac Gelam vrbem ædificauit, & Dianæ ludos inſtituit, quam in Mopſi memoriam, cuius frequens fit in carmine paſtorali mentio, Phaſelim iuſsit appellari. Nam Mopſus à Lario Argiuo Antiphemi fratre in montoſam Colophoniorum regionem dux coloniæ miſſus oppidum illic condiderat, cui nomen Phaſelis impoſuerat. Verumtamen à peſtilentiæ ſedatione bucolicum carmen profectum videri poteſt ex his quæ victor aliis precabatur. Nam inter ſe

primùm certabant coronati, aut ſedentes, aut ſtantes, aut gregem ducentes cum pedo, & pera omnibus ſeminibus referta: tum victor victori panem, peram, vtrem auferebat (nam pro vaſis, capris, iuuencis certare poſterorum fuit opulentiæ) mox libatione facta Muſis ex vtere Syracuſas ingrediebatur, ciuiúmque limina & frugibus, & vino cum hoc cantu aſpergebat, δέξαι τὰν ἀγαθὰν τύχαν, δέξαι ὑγιείαν, τὰν φέρομεν παρὰ τῶ θεῶ, τὰν ἐκαλέσσατο τῆνα. Poſtmodum res in artem, & quæſtum tranſiit: dictíque ſunt βουκολισταὶ, ſiue ludiones, aut λυδιασταὶ. Inter quos ea tempeſtate Daphnis longè excelluit: cuius interitum paſtores veluti ſui principis funus magnificè honeſtarunt. Scripſit autem hoc carmine primus omnium Moſchus; quem longo pòſt interuallo ſecutus Theocritus Syracuſanus ſuperauit. Sed & Steſichorus Hymenæus primus fertur Eclogas ſcripſiſſe nactus materiam ex fabula Daphnidis Mercurij filij, quem oculis orbatum memorant ob violatam fidem quam Nymphæ dederat. Adeò res varia, & obſcura eſt, vt quid ſequamur incerti ſimus. Inter Latinos vnum tantùm Virgilium habemus, quem liceat imitari. Argumenta, & perſonæ ſumuntur in hoc genere ex agris & ſiluis; cui potiſſimum à paſtoribus nomen inditum eſt; cùm etiam aratores, vinitores, olitoréſque recipiat; quòd otio præ cæteris abundantes cantilenis operam dare commodiùs poſſint. Sanazarus piſcatores eduxit: quam rem aliqui minus probant. Genus enim hominum iſtud eſt malitioſum, & callidum, & confidens aſtutia: bucolico

autem

autem carmine rudis, & agrestis vita exprimitur. Atque à diuersis generibus pastionum diuersa quoque nomina deducta sunt. nam ποιμενικὰ ab ouibus, à capris αἰπόλια, à suibus συβώτια, & à bobus βουκολικὰ, quod animal quia maximum est, & pastoribus vtilißimum, bucolicum carmen nomen est effectum commune & generale. Equorum verò mentionem Graeci nullam fecere. Theocritus sua carmina Idyllia diminutiuo nomine vel ob breuitatem, vel ob rei humilitatem, παρὰ τὰ εἴδη, vt volunt, καὶ τὰς ἰδέας ab imagine quam imitatio repraesentat, inscripsit. At lectißima quaeque, & maximè concinna ἐκλογαὶ appellantur. Materia multiplex, vota, gratulationes, laudationes, obtrectationes, altercationes, cohortationes, pollicitationes, conquestiones, gaudia, pompae, cantus, hilaritates, ioci, & amores: omniáque videri debent ex agris nata, aut educata in agris. Instrumētum verò Musicum à sibilo Graeci σύριγγα, ab hiatu Latini fistulam nominarunt; Panis inuētum; quae aut ex arundine, aut ex cicuta fit. Cicutam dico fruticem, cuius caulem vacuum docent, aut qui leuißima opera potest vacuus fieri. Ac primò quidem vna dumtaxat canna constabat, mox altera adiuncta, tandem cera, vel lima septem compactae fuerunt magnitudine impares inter se in alae similitudinem formatae, sed proportione pares. quam poëta pulchrè descripsit.

Est mihi disparibus septem cōpacta cicutis
Fistula.

At verò cantio vel est μονοπρόσωπος cùm vnus cantat, vel respondens. quae cantio respondens, si

certam habet legem carminum, & numerũ, ἀμοιϐαῖα nuncupatur (quamquam ἀμείϐεσθαι apud Homerum est simpliciter respondere) sin legem nullam & numerum seruat, proprio nomine caret. Carmen autem hexametrum bucolici vsurparunt, quia narrationi aptissimum esset; nec satis ineptum actioni, si non insurgat, & longiores orationis ambitus non requirat; ac præsertim cantilenis suis valde accommodatum. In quo illud maximè commendant, si prima & quarta sedes aliqua parte orationis terminetur; maximè verò si dactylo pede finiatur: quale illud est,

Tityre pascentes à flumine reiice capellas.

Quam legem Theocritus diligenter obseruauit; Virgilius non ita secutus est. Nec puta alia versuum genera licere admisceri; quandoquidem à Virgilio nusquam id factum reperias: & Theocritus solùm pentametrum hexametro, illudq́ & rarò, & tantùm in pastorum cantilenis adnexuit.

Quid Bucolica poësis, & quæ eius, & quot partes sint.

CAP. VIII.

ERGO *sic rectè finietur Bucolica poësis, rusticarum actionum imitatio. In qua primùm velut in Comœdia spectanda sunt Fabula, mores, sententia, dictio; nam cantus qui fit ad fistulam, non semper adhibetur, nisi cùm pastores cantantes inducuntur; & apparatus qui ex arboribus & siluis*

construitur, nullo ferè ingenio & artificio poëta indiget. Atque in fingenda fabula eadem præcepta seruentur quæ superiùs tradita sunt, vt simplex & vna sit, licet digreßiones admittat, sicuti apud Virgilium Melibœus Tityri vicem extollens suam deplorat. Sed eam nonnulli existimant ἀλληγορικῶς fingi oportere, vt aliud dicat, aliud intelligat, quemadmodum in Tityro Virgilium, eundémque in Corydone, & in Alexi Augustum intelligi volunt. quod sæpe rectè, opportunè & ingeniosè fieri potest; sed fieri semper debere negamus. Neque enim à summis illis poëtis, à quibus exempla petenda sunt, hoc semper obseruatum videmus; & ambitiosa nimis & religiosa præceptio est. Illud iam præceptum est, vt nomina rebus apta fingamus, aut à bonis auctoribus ficta mutuemur. De moribus, & sententia dictum est alibi satis. Dictio pura erit, & demissa sine sententiarum acumine & grauitate, sine verborum splendore & ornamentis: quæ humilibus rebus conueniat. Cuius dictionis simplicitas Doricæ linguæ propria videtur, sicut Atticæ sermonis elegantia. Virgilius tamen laudatam illam Theocriti simplicitatem aut noluit assequi, aut certè non potuit, seu quòd ingenio natus fuit ad grauiora, seu quòd Romanus sermo tantam humilitatem ferre non poterat. Nam quandoque sese attollit, atque inflat vehementius tum in rebus, tum in verbis, quamquam interdum aliquo cum præmunitione, vt

Sicelides Musæ paulo maiora canamus.

& sub-

& sublimiora dicturus è Sileni persona prudenter locutus est, qui reconditæ sapientiæ Deus habebatur. Itaque in siluis grandiore sono concinuit: & rusticam tenuitatem apta grauitate ita quibusdam temperasse videtur, vt Theocrito, cui ab omnibus primæ deferuntur, pulchriorem, & iucundiorem prædicet. Iam bucolicam nescio qui in eclogas, tamquam actum in scenas partiuntur; nec pluribus quàm decem eclogis constare posse aiunt, quoniam is numerus scenarum vnicuique actui præscriptus est. At iste bucolicus actus quàm erit multiplex & deformis, ex tot variis & dissimilibus actionibus compositus? Et magnos illos poëtas certum est ita scripsisse prout sese offerebat occasio. Ego duas partes huius poëmatis cõstitui posse arbitror, Principium, & Narrationem. Nam in omni re aliquod debet esse principium, aut aliquid principij loco: reliqua narratione continebuntur, ni velis aliquid interdum in epilogi loco ponere.

De Melico poëmate, siue lyrico.

Cap. IX.

RESTAT *nobis vltimum genus poëticæ, quod Melicum, siue lyricum appellauimus. Nam licet melicũ id dicatur, quod est ad cantilenas aptum (siquidem* μέλος *Græca vox, ex qua melicum deducitur, cantum significat; & omnes poëtæ, quasi cantores, ab hac vocis deductione melici vocati sunt; immò etiam ars ipsa poëtica ex carminis suauitate*

dicta est melica) tamen quod ad fidium & tibiarum modulationem maximè aptum est, hoc præsertim nomine signatur. quale in primis dithyrambicorum & lyricorum carmen est. Tum etiam à lyræ præstantia, cuius inuentionem ad Apollinem referunt, lyricum nomen effectum est commune, cuius significatio erat proprior. Atque à cantu Græcè μέλος, siue ᾠδὴ; à Latinis carmen; & à rerum imagine εἶδη, vnde Idyllium; & à laudatione ac votis ὕμνος dicitur. Ac quidem primò iambicis versibus & epicis constabat. nam hymnos epico carmine ab Orpheo & Homero scriptos legimus, qui ad citharam canebantur. sed lyricus Alcman è canticis hexametros sustulit: cúmque simplex esset, cœpit deinde maioris voluptatis & suauitatis gratia multiplici adeò dissimilitudine numerorum, & conformatione pedum variari, vt infinitas propè formas induerit. Quas formas Grammatici pluribus verbis exponunt. Inuentum autem fuisse ad Deorum, Heroum, & virorum precationes & laudes celebrandum antea diximus: vnde Pindarus,

ἀναξιφόρμιγγες ὕμνοι
τίνα θεὸν, τίν' ἥρωα,
τίνα δ' ἄνδρα κελαδήσομεν;

quem imitatus Horatius,

Quem virum, aut heroa lyra, vel acri
Tibia sumis celebrare Clio,
Quem Deum, cuius recinet iocosa
Nomen imago?

verùm

verùm latius vires suas dilatando postmodum ad amores, compotationes, lusúsque defluxit. Hinc Horatius,

Musa dedit fidibus diuos, puerosq́ue Deorum,
Et pugilem victorem, & equum certamine primum,
Et iuuenum curas,& libera vina referre.

Quid autem ipse maximè posset, quídue potius sequeretur, scribens ad Agrippam ostendit,

Nos conuiuia,nos prœlia virginum
Sectis in iuuenes vnguibus acrium
Cantamus vacui, siue quid vrimur
Non præter solitum leues.

In vniuersum quæcumque lyricis numeris colligari, & breui poëmate concludi possunt, videntur in lyricam materiam posse cadere.

An vlla sit in lyrico imitatio: quótue lyrici poëmatis partes sint.

CAP. X.

AT videtur quibusdam nullam esse lyricam poësim, quoniam in ea nulla est humanarum actionum imitatio: contrà alıis videtur satis illam imitarı, dum hominum mores & affectus exprimit; & quamuis interdum vera pronuntiet, tamen in singularibus personis,non secus atque Epopœiam, & Tragœdıam,actiones effingere vniuer-

 sales.

ſales. Sed rogo liceátne ſine imitatione vel poëtam chori perſonam gerere, vel chorũ poëtæ? aut rhythmo & cantu eundem chorum abſque imitatione vti? Nec præterea, ſi grauem aliquam actionem imitetur, à Tragœdia & Epopœia non differet; nec ſi humilem & iocoſam effingat, à Comœdia nihilo diſtabit. Nam vel hoc vno ab aliis diſtinguitur, quòd cum verſu cantum ſimul & ſaltationem adhibet; alia verò genera vel nullum motum & cantum habent, vt Epopœia, vel diuerſis in locis adhibent, vt Tragœdia, atque Comœdia. Tum modò ſolam poëtæ perſonam induit, quæ in Comœdia & Tragœdia nuſquam eſt; modò alienas tantùm habet, quod Epopœiæ non licet; modò & poëtæ & aliorum perſonas, quemadmodum epopœia, complectitur. Ac quoniam ad laudationes & amplificationes quæſita eſt, amátque hilaritatem atque licentiam, digreſſiones illi & plures & liberiores conceduntur. Exemplo Pindarus eſſe poteſt, qui in amœniora ſæpe loca vagatur. Quare dictionem pingit & expolit, ac verborum & ſententiarum leporibus aſpergit, multiſque ornamentis, & coloribus illuſtrat. Ceterùm principia habet libera, deducítque vnde vult, producítque vt lubet, ac ſuo arbitratu corripit. Pindarus ferè ſemper in ſuis canticis præludit, & ſæpe ſatis longo principio vtitur, & interdum altius initia repetit: non tam frequens eſt in exordiis Horatius, quæ etiam breuiora componit. Quidam aiunt non ſingulorum canticorum facienda initia, ſed totius operis: quod probant

bant Horatij exemplo, qui ceteris odis illam præposuit,

Mæcenas atauis edite regibus.

At quæso illæ,

Quem virum, aut heroa, lyra, vel acri,

&

Descende cælo, & dic agè tibia.

(ne longior sim multitudine exemplorum) nónne suis initiis constant? Mox singula per se cantica singula poëtæ opera efficiũt: aut quem numerum canticorum illi præscripseris? aut quam inter illa similitudinem seruare iusseris? Verùm Horatius cùm multa simul cantica congregasset, primam illam oden quasi prologum præposuit, & illa,

Exegi monumentum ære perennius,

quasi exodo libros conclusit. Idémque postea rogatus ab Augusto prioribus tribus libris quartum adiecit, atque Epodon appellauit, quoniam post alios protulisset. Nam Epodos id est, quod post alias cantilenas & hymnos accinitur. At verò Narratio, quam ἐπαγγελίαν vocant, nulla lege prohibetur ne res gestas multorum annorum complectatur: verùm eo laudabilior fuerit, quo res breuius perstrinxerit, & ornauerit copiosius. Illa quoque magna virtus est narrationis, vim rerum, & canentis affectum exprimere. Postremò multa sententiarum copia augeri, variis verborum floribus illustrari, multis rerum ornamentis vestiri debet.

De Choro lyrico.
Cap. XI.

QVOD *carmen in aliqua celebritate vel communi, vel priuata ad lyram canebatur à choro, qui è quinquaginta iuuenibus iugenuis constabat; & in Cereris sacris è feminis, in Iunonis è matronis, in ludis secularibus è virginibus & pueris: illas castas, hos lectos vocauit Horatius. Donabatur autem tauro; vnde lyrici poëtæ* ταυρόφαγοι *appellati sunt. Sed hoc nomine Dithyrambicos solùm appellari volunt nonnulli; iuuencam verò lyrico victori fuisse propositam, quæ & immolabatur. Subinde chorus saltando ingrediebatur, interdúmque reuersus egrediebatur; deinde in foueam sese referens orbem repetebat; postremò exodium canens abibat. Aliter apud Græcos; primùm à dextera ad sinistram saltabat, imitatus supremi cæli reuolutionem, quod ab oriente in occidentem conuertitur: quæ saltatio à Græcis* στροφὴ *dicta est, nos appellemus conuersionem: tum à sinistra in dexteram reuertebatur, sicut reliquorum siderum orbes ab occidente in orientem dißimili motu atque supremum illud cælum conuoluuntur,* ἀντίστροφον *Græci vocant, nos reuersionem; quæ totidem versibus, iisdémque quot quibúsque strophe conficiebatur: postremò stabat. hæc quies* ἐπῳδὸς *fuit nominata, alia versuum genera, quàm strophe, & plura, vel pauciora recipiens: qua quiete firmitas*

firmitas terræ notabatur. Ea enim in media mundi ſede collocata non mouetur. Quòd ſi ode plures conuerſiones atque Epodos habuiſſet, ſequentes præcedentium rationem ſeruare tenebantur. Non igitur poëta lyricus agentem quemquam inducit, ſed tantùm choro perſonam ſuam imponit.

De Dithyrambico.

CAP. XII.

AC ſanè lyrici poëmatis plura genera traduntur, Hymni, qui in Deorum laudes ad aras canebantur, Pæanes, & ipſi Diis dicati in communi lætitia, & gratulatione ob victoriam partam in prælio; Epinicia, quibus victores in certaminibus celebrabãtur, cuiuſmodi ſunt Pindari omnia; Epipompeutica, quæ in pompis cantari ſolebant, quale eſt carmen ſeculare; Scholia, quæ in conuiuiis lauro vel myrto coronati cantitabant, virorum fortium laudes, & communes ſententias habentia, quibus ad virtutem alios inflammarent: ne alia genera commemorem, quæ ſub melicam rationem ab aliis coguntur. Ad quam etiam Dithyrambicum referrem, niſi Cicero ſeparaſſet: cuius tamen naturam inueſtigare difficilius eſt, quia nullum eius extat neque exemplum, neque præceptum. miror\&q; eum qui negat Latinos hoc genus habuiſſe, quòd Cicero ſcripſit magis tractatum à Latinis. Ait tamen Tzetzes Dithyrambicos eoſdem eſſe cum lyricis, verùm aliquanto & rebus & verbis grandiores; &


res; & à Baccho nomen desumpsisse, cuius facta & mores imitabantur: siquidem ille bis natus, semel è Semele, iterum ex femore Iouis, quasi δὶς θύρας ἀμείβων, vel ἅμα ἰὼν, aut à Nympharum acclamatione parturienti Iouis coxæ λῦθι ῥάμμα solue suturam, mutata liquida, διθύραμβος dictus est. Horum carmen multiplex & varium fuit, numerúsque pro libidine incertus, sine vlla conuersione, non absimilis à numero Scholiorum, & Pæanum. Quapropter illos lege solutos appellarunt. Dictio verò grauis, exultans, tumida, plena Baccho, & in componendis vocibus, producendísque sententiis audax, iactans ampullas, & sesquipedalia verba. Idcirco audacem dithyrambum Horatius, & μιξοβόαν Aeschylus vocauit. Hoc carmen chorus Bacchum motu & cantu imitatus ad tibias canebat: quippe quæ imitationi aptissimæ essent; quæq. acriorem sonum & vehementiorem funderent. Motus enim erat Phrygius vi sua concitatissimus, bacchantum maximè proprius; qui furore quodã in diuersa rapiebantur: Polyxenúmque tentasse τῇ δωριστὶ harmoniæ Dithyrambum accõmodare, raptumq. ab eius natura in φρυγιστὶ refert Aristoteles. Quam saltationem à Corinthiis primum inuẽtam & institutam fuisse Pindarus testatur illis verbis loquens de Corintho,

Ταὶ Διονύσου πόθεν ἐξέφανεν
Σὺν βοηλάτᾳ χάριτες
Διθυράμβῳ.

Agentem verò boues Dithyrambum appellat, quoniam

niam præmium quod Dithyrambis dabatur, bos erat; quamquam aliqui tripoda fuisse affirmant. In hoc genere Ion Chius, cuius nomine dialogum inscripsit Plato, plurimum se exercuit: verùm eius versus vt ambitiosos Aristophanes carpit. Hæc habui quæ de Dithyrambico dicerem. reliqua genera poëtices quæ alij recensent, prudens omitto: quoniam aut nullis imitandi præceptionibus continentur, aut illis quæ traditæ sunt rectè conformari possunt: & qui prima, & difficiliora genera didicerit, reliqua minus difficilia, aut similia commodè, & sine periculo persequetur.

FINIS.




HENDECASYLLABVM DAMASI HEYMANNI AD LECTORES.

HVC, *quotquot pariter ſeueriores*
Muſarum colitis choros ſacrarum,
Et quotquot petitis ſuauiora,
Parnaßi iuga montis experiri,
Aut pulchrè Tragico indui cothurno,
Aut ſocco decorarier reiecto:
Candore hunc legite inclyto libellum
Quem dat Muſa viri magis benigna:
Qui quo plus ſtudio beatiori
Fructus afferat, hoc magis decebit
Cunctis carior eſſe, gratiórque.

Approbatio.

Libellus iſte De poëtica tractans à me infrà ſcripto perlectus fuit, neque in eo quicquam deprehendi quod eum euulgari prohibeat: quod atteſtor

Walterus vander Steeghen S. Theol. Licentiatus, & Eccleſiæ Antuerpienſis Canonicus, ad librorum examen deputatus.

